

ALBERTUS QUADENIOHANS WILHELM
HERZOG VON SACHSEN LANDGRAF IN
THURINGEN VIKARIUS GRAF ZU MEISSE

J. 16r.

II, 46.



4

O R A T I O
D E I V R I S C O N
S V L T I C E V V I R I B O
N I O F F I C I O :

Publicè habita
in Panegyri Doctorali :

à

N I C O L A O R E V S N E R O
I V R I S C . I L L V S T R I S S . S A X O
*nia Ducum Consiliario, & Collegij Iuridici Seniore
ac Professore in Academia Salana :*

Cùm supremi honoris titulus in Iurisprudencia con-
ferretur solenniter

D. S A M V E L I M O S B A C H I O ,
Cancellario Schvarzeburgico

D. I O A N N I K E C K I O è Sa-
linis Saxonis

&

D. B A R T H O L O M A E O R E V S N E R O
Vratisl. Silesio.

I E N A E Anno M. D. XCI. XX. Decembr.



I E N A E

Typis Tobia Steinmanni.



ILLVSTRI ET GENEROSO
D. CAROLO GVNTERO
Inclyti Herois

D. ALBERTI F.
COMITI SACR. ROM. IMPERII
Schvvarzeburgico

DOMINO ARNSTADII
Sondershaufæ & Leutenbergæ

YT GENTIS, SIC VIRTVTIS
antiqua heredi

PATERNAE GLORIAE
amulatori

PANEGYRIN HANC ACADEMICAM
*Quam ipse illustri praesentia sua coho-
nestare dignatus est*

NICOLAUS REVSNERVS
V. I. D.

SPHI OPT.

De præclaro illius ingenio publicitùs conceptæ

MON.

D. D. D.

IN NOMINE SANCTÆ
ET INDIVIDVÆ TRI-
NITATIS.



COMMUNE BONVM VIRVM
bonum qui dixit, nã ille mihi commodè & ve-
rè dixisse videtur. Nam vir bonus non modò
id, quod verè bonum est, in re qualibet perspi-
cit: sed etiam operatur: idque non tam sui
causa, ut sibi bono sit præcipue: quàm aliorum
hominum, quibus cum vivit; maximè verò
ipsius Reipub. cui se inprimis natum esse intelligit, adeoq; to-
tius societatis humanæ juvandæ gratiã. Ac proinde vir bonus
quantumvis erga seipsum optimè affectus, non sibi solùm com-
modare, sed prodesse omnibus, nocere nemini, toti denique
communitati hominum quam optimè consulere unice deside-
rat: eamque ob rem vir bonus non immeritò virtutis, à qua no-
men habet, studiosus existimatur: in qua actio bona, propter
quam vir bonus laudatur, maximè conspicitur: quæ quò latius
patet in communi hominum societate: eò maiorem ipsa quoq;
laudem atque commendationem meretur. Sed haud scio, an
cuiquam hominum generi viri boni & actio & appellatio magis
conveniat, quàm bono Iurisconsulto: qui verè est, siquidem re-
ctè suo fungatur officio, non modò vir bonus, & (ut Græci lo-
quuntur) καλοκἀγαθός: sed omninò (ut iidem loquuntur) κοινὸν
τἀγαθὸν hoc est, commune & publicum bonum: serviens & com-
modans in suo genere vitæ tum publicæ, tum privatæ. Nam &
secundum Flaccum,

----- *vir bonus est is,*

Qui consulta patrum, qui leges, scit aq; servat:

Quo multa magnæq; secantur iudice causa:

Quo responsore & quo causa teste tenentur.

Quare cum in omni vitæ ratione fas & æquum sit, tene-
re, quid unumquemque deceat, & quid cuiusque officij ratio
postulet: non alienum ab hoc loco & tempore me facturum
arbitror: si in solenni isto actu Doctorum Iuris, quos in hunc

ceterum produximus, de IURISCONSULTI CŒU VIRI BONI OFFICIO, pauca quædam, quantum temporis huiusce ratio patitur, in medium afferam. Quo in argumenti genere commodius tractando explicandoque, omnem orationem meam certis quasi septis quibusdam & cancellis ita includam: ut primo quidem loco, quam ratione Iurisconsultus boni viri nomen ac munus tueri: deinde quid potissimum agendo, commune se bonum toti generi mortalium exhibere queat, planum vobis faciam. Quæ omnia dum breviter facio; Rector Magnifice, Legate Illustrissimorum Saxonæ Ducum Amplissime, Principes Illustrissimi, Inclyti Comites, Generosi Barones, Patres Academici clarissimi, vosq; cæteri qui adestis omni ex ordine Auditores spectatissimi, & in primis etiam vos nobilissimi ac studiosissimi Adolescentes: quaero vos, ut bona cum venia verba mea audiatis.

Principiò animadvertendum est illud AVD: viri boni nomen & decus non esse, ut quibusdam fortassis videtur, vulgare adeò & abiectum: sed planè potiùs magnificentum & divinum. Nam & Homerus viros bonos θεοφθέας καὶ ἀνιδείσο, quasi DEO similes & æquales, Deorumq; consilia habentes, passim nuncupat. Neque enim vir bonus nascitur: neque quisquam vir bonus sine afflatu aliquo divino unquam fuit: omninoq;, ut vult Seneca, ars est bonum virum fieri. Nam ut nulla est mens bona sine Deo: ita bonus vir sine Deo nemo est: vereq; in unoquoque viro bono Deus habitat, eodem Seneca auctore. Bonus autem vir ex eo maximè appellatur: quòd nihil nisi bonum & vult, & operatur: omniaq; facta & dicta cogitataq; sua bonitate & honestate sola communiq; hominum utilitate metitur: in quo quia virtus perfecta atque absoluta conspicitur, Aristoteli τελέως σπουδαῖος, & Xenophonti, qui Agesilao hoc nomen tribuit, τελέως ἀγαθός vocatur: qui & ob hoc ipsum aliàs iuncto nomine καλοκαγαθός nominatur, quasi vir pulcher & honestus, in quo & virtus ipsa, & splendor dignitasq; virtutis, omnibus cum ornamentis animi & corporis & fortunæ eminent maxime siquidem, ut in græco est senario:

ἅπαντα τοῖς καλοῖσιν ἀνδράσιν πέπει:

Bonos probosq; cuncta perdecant viros:

adcoq

adeoq; veræ virtutis proprium est, & singulare istud, ut quicquid vir bonus agat, id decorum pariter & honestum esse omnibus videatur: e diverso autem habet hoc improbitas, ut etsi quis il- laudatus recte faciat dicatve, tamen nescio quo pacto non ad- sit axioma illud & decorum virtutis: cuius sane lumen ut obscu- rum diu esse non potest: ita nec fictum aut simulatum potest quicquam esse diuturnum. Neq; ergo vir bonus absolute dici- tur, qui scit, quod bonum est, sed qui diligit & facit: quiq; non si- mulatione & inani ostentatione, & ficto non modò sermone, sed etiam vultu: verum potius re & veritate colit virtutem & ho- nestatem: cuius comes individuus est honos & gloria. Pro- prium enim viri boni munus est & officium, (ut ait Aristo- teles) τὰ δίκαια καὶ καλὰ καὶ ἀγαθὰ ἀνθρώπων πράττειν, hoc est, ea quæ iusta & honesta hominumq; generi bona & utilia sunt, facere & agere: in quo pariter quoque & sapientiæ ipsius & iu- stitiæ vis atque potestas cernitur. Itaque vir ille bonus & sapi- ens, cuius Ideam nobis, siue Maro siue Aufonius, in Pythago- rica illa acroasi eleganter depingit:

*Iudex ipse sui, totum se explorat ad unguem:
 Quid proceres, vaniq; ferat quid opinio vulgi,
 Securus: mundi instar habens, teres atq; rotundus:
 Externa ne quid labis per levias sidat,
 Cogitat: & iusto trutinæ se examine pensat:
 Partibus ut coëat: nil ut deliret amussis:
 Sit solidum quodcunque subest, nec inania subtus
 Iudicet admotus digitis pellentibus ictus:*

& cætera quæ sequuntur. Nimirum idem est vir bonus, qui & vir iustus: quem eo animi habitu præditum esse oportet: ut non modò possit, sed etiam velit iuste agere, ac præterea etiam re- vera agat ea, quæ iusta sunt. Nam &, secundum Ambrosium, non virtus est, non posse, sed nolle peccare: verumq; est Anselmi illud, qui dixit, non esse iustum, qui facit quod debet, si non vult, quod facit. Quam in sententiam etiam loquitur Philemon ille Græcus in Palamede:

*ἀνὴρ δίκαιος ὢν ἔχῃ ὃ μὴ ἀδικῶν:
 ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βέλεται.*

A 3

Planè

Planè enim ut vir iustus sponte sua, injustè agere nec vult, nec potest, etiamsi injustè agendi maximam habeat licentiam; ita ut, Deum & homines hoc latere posse sciat, ut de se apud Platonem Socrates gloriatur: Ita vir bonus non potest non facere quod facit: adeò ut malum facere nulla eum vis aut necessitas possit compellere, nedum voluptas aliqua à recta via abducere. Itaque vir bonus sibi similis perpetuò, & in se totus est perfectus atq; absolutus: qui ceu homo virtuti similimus, & per omnia ingenio Dijs quàm hominibus propior (ut de M. Catone scribit Vell. Paterculus) non ideò rectè facit, ut facere videatur, sed quia aliter facere non potest: ac propterea esse quàm videri probus mavult. Quippe cuius omnia inter se facta dictaq; congruunt, sibiq; planè respondent, & quasi una forma, ut Seneca loquitur, percussa sunt: adeò ut nulla vi fortunæ aut periculi metu submoveri is queat: sed perpetuò sibi constet, & quoquo modo volutatus, instar cubi, basin habeat firmam, ut non facilè moveatur: atq; adeò semel motus in seipsum protinus recumbat. Sic enim de viro bono apud Platonem in Protagora Socrates loquitur, ὅτι ἄνδρα μὲν ἀγαθὸν ἀληθείας γενέσθαι χαλεπὸν, χερσίτε καὶ ποσί νόωτε τετράγωνον, ἀνευ φόβου τετυγμένον, ὃς κατὰ πᾶσαν τύχην καὶ πραγμάτων μετέσσειν ἀσφαλῶς ἰσῆσεται. Difficile esse ait Socrates, virum bonum revera nasci, & manibus, & pedibus, & mente quadratum sine vituperatione factum, qui in omni fortunæ rerumq; commutatione sibi constet perpetuò. Quomodo & iustitia ipsa, ex qua vir bonus propriè nominatur, ex Simonidis sententia apud Vlpianum definitur, quòd sit constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi. Quanquam enim voluntas hominis contra ea quæ iusta & bona sunt, inclinatur sæpius: ijsq; refragatur quodammodo & adversatur: semper tamen & ubiq; viri boni & iusti iudicium per se rectum est & firmum: sicut & viri boni habitus omninò rectus est, & recta nititur ratione: quæ veluti regula est & mensura rerum omnium, & veritatis virtutisq; magistra. Ex quo pulchrè Aristoteles: μέτρον (inquit) ἑκάστω ἡ ἀρετὴ καὶ ὁ σπουδαῖος ἐστίν: id est, mensura cuiq; est virtus & vir bonus. Nam & aliàs Protagoras apud Platonem mensuram omnium rerum hominem statuit. Præterea ipsa per se virtus, quæ nihil est aliud, quàm executio eius,

tio eius, quod recta ratio præcipit, non potest non esse vi & natura sua constans & perpetua: quod veræ virtutis proprium est: ex quo *προαίρεσις* Aristoteli dicitur. Quæ vox utrumq; complectitur, & rationem rectam, & voluntatem firmam rectæ rationi obtemperandi: quibus duabus rebus omnis virtus perficitur: eamq; ob causam virtus à Stoicis constantia, & aliàs constans & perpetua vitæ ratio definitur, auctore Tullio. Cæterum ut, quod nam sit munus viri boni, melius intelligatur: finem ipsius Iustitiæ, qui & Iuris finis est, eiusq; præcepta accuratius considerare, operæ precium fuerit. Finis autem & præceptum summum Iuris & Iustitiæ est, suum cuiq; jus tribuere: in quo omnis justè vivendi ratio, quæ Iurisconsulto ceu viro bono maximè proposita esse debet, consistere videtur. Semper enim in ipsa iustitia esse debet, vt Plato vult, *ισονομία*, hoc est, vt M. Cicero interpretatur, æqualis tributio quædam: ut omnia omnibus, paria paribus perpetuò respondeant. Siquidem, eodem auctore, fundamentum Iustitiæ est, pro dignitate suum cuique tribuere: qui & alibi laudat veterem Romanorum morem & bonum & humanum: quòd faciles essent in suum cuique tribuendo: quo ipso vel maximè æqualitas, quam jus parit, & societas conservatur humana. Præcepta autem Iustitiæ, ut & ipsius Iuris, sunt tria præcipuè: nimirum, Honestè vivere: Alterum non lædere: Suum cuiq; tribuere. Quorum primum illud Philosophiæ magis: altera duo Iurisprudentiæ conveniunt: illa communis Iustitiæ, hæc privatæ propria sunt & quasi peculiaria. Ac commune quidem iustitiæ præceptum est: honestè, seu, quòd idem est, justè, hoc est, ut Tullius interpretatur, cum virtute vivere: cuius veluti partes & munerata sunt hæc duo quæ sequuntur, eademque & juris præcepta: Alterum non lædere, & Suum cuiq; tribuere: quorum illud ad personam, hoc ad res cuiusque pertinet. Tunc enim vel maximè vivitur justè omninoque honestè: cum utrumq; hoc præceptum exactè observatur: ut non modò alterius persona non lædatur aut violetur, injuria scilicet aliqua inferenda, sive vitæ ipsius & incolumitati, sive libertati aut existimationi, quæ vitæ in jure ferè comparatur: sed imprimis etiam, ut quod

ut, quod cuiusq; est, siue commune sit siue privatum, id cuiusq; esse permittatur. Quod pulchre admodum M. Tul. Cicero in hunc modum declarat in Officiis : Iustitiæ (inquit) primum munus est : ut ne cui quis noceat : deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis autem ut suis. Et paulò post: Iustitiæ munus non in eo versatur solum, ut ne cui noceatur inferendâ injuria : sed etiam ut alteri commodetur, & communi utilitati serviat : suum cuiq; pro dignitate tribuendo. Nam qui utrumq; hoc non facit : dum alterum justitiæ genus assequitur, inferenda ne cui noceat injuria: in alterum injustitiæ genus incidit, & sic altera justitiæ parte caret: quæ non contenta non nocere, etiam prodesse vult. Sic nimirum duo præcepta illa posteriora partibus quidem plura sunt : re autem ipsa ad unum illud genus commune referuntur : quod est, juste honesteque vivere, hoc est, jus suum cuiq; tribuere: eoque ut species genere continetur. Nam & qui alterius personam non lædit, is maxime jus suum alteri tribuit : siquidem jus cuiusque, hoc est, quod jure cuiusq; est, non est tantum in rebus externis, sed & persona cuiusque : cuiusmodi sunt vita, incolumitas, libertas, fama, existimatio : quæ qui non lædit, is non lædit alterius personam. Quod si idem quoque, quod cuique lege vel pacto, vel conditione, vel forte aliisve modis contigit, id unum quemque tenere permittit : neque plus eo sibi appetit : nedum per vim aut injuriam alteri aufert : sed potius, si quod de his ad eum pervenit, iis restituit, ad quos pertinet : eo ipso quoque jus suum cuique tribuit, dum jus alterius in rebus & bonis salvum & integrum esse patitur. Talis nimirum vir bonus fuit Socrates : qui ab omnibus ejusmodi vir habitus est, qualis esse possit optimus & felicissimus : Talis Aristides & Phocion : quorum ille Iusti, hic Boni viri cognomentum apud suos publice meruit : Talis Argivorum ille dux Amphiarus :

ἔ μὲν δοκῆν ἄριστον ἄλλ' εἶναι θέλων,
 βαθεῖαν ἄλοκα δὲ φρενὸς καρπόμενον :
 ἐξ ἧς τὰ κεδία βλαστάνει βελεύματα :

ut de eo scribit Aeschylus : Talis denique vir bonus sub Lollij persona à Flacco commendatur cui animus sit ut ille canit,

Rerumq;

*Rerumq; prudens, & secundis
 Temporibus, dubijsq; rectus:
 Vindex avaræ fraudis, & abstinens
 Ducentis ad se cuncta pecunia:
 Consulq; non unius anni,
 Sed quoties bonus atq; fidus
 Iudex honestum prætulit utili, &
 Reiecit alto dona nocentium
 Vultu: & per obstantes catervas
 Explicuit sua victor arma.*

Quanquam verò hæc omnia, quæ de bono viro hætenus di-
 cta sunt, omni generi hominum conveniunt: sicut & M. Cic. vi-
 rum, bonum in genere definit eum, qui prodest quibus potest,
 nocet nemini, nisi lacepsitus iniuriâ: adeò, ut qui, cum possit,
 nec semetipsum nec alios adjuvat; nec sibi nec alijs commodat;
 cuiuscunq; conditionis sit; planè injurius esse, legemq; naturæ
 violare dicatur: commodissimè tamen ista omnia Iurisconsulto
 ceu viro bono accommodari possunt, tanquam propria quæ-
 dam & singularia præcepta: in quibus officium Iurisconsulti
 ferè totum continetur. Quod quidem in his tribus maximè
 cernitur: si non modò suæ personæ, ut honestè vivat: sed & ei-
 us qui cum alijs rationem habet, ne eum lædat & prætereà alio-
 rum personæ, ut suum cuiq; tribuat, rationem potissimùm ha-
 beat. Sic ergo viri boni nomen & munus quò rectè possit tue-
 ri Iurisconsultus: omnem vitam suam ita instituere debet: ut
 honestè primùm & justè vivat: utq; honorem, decus, & gloriam
 ex justa vitæ ratione, quæ omnes honestatis & ipsius virtutis
 partes officiaq; complectitur, apud suos cives consequatur.
 Nam & hac ipsa ratione præcipuè paratur dignitas & auctori-
 tas, quæ in Iurisconsulto vel maximè desideratur: ex qua ipse
 vir bonus, & honestus nominatur. Deinde ut omnibus modis
 caveat: ne arte juris, quam profitetur, ad suum commodum, &
 incommodum alterius abutatur: quod tunc ab eo fit maximè,
 si vel in negotio suo, præstantia ingenij & doctrinæ civilis, vel
 calumniose litem intendat, vel bonam adversarij causam calum-
 niosa



nitiosa & malitiosa juris interpretatione eludat. Postremò, ut in aliorum negocijs causisq; ad se delatis, & de quibus consulitur, ita de jure respondeat: ne cuiquam faveat aut invideat: sed suum cuique ius æqualiter attribuat. Nam in his, quæ dixi, præcipua pars officij Iurisconsulti, omnisq; vis & ratio virtutis & ipsius justitiæ posita esse videtur: ex qua ipse non tam Iurisconsultus: bonus, quam vir bonus: neque tamen solum vir bonus, sed & civis bonus rectissimè appellabitur eoque magis quod non solum scit, quid bonum, aut iustum sit; sed etiam bonus ipse met est, & bonum facit: ac præterea alios cives bonos, secundum Ulpianum, tum præmiorum exhortatione, tum metu pœnarum, efficere homines studet: eodemque pacto Reipub. quoque statum: quantum in se est, bonum beatumq; constituit. Magnum igitur est, & omninò arduum, personam in Reipub. profiteri Iurisconsulti: in quo non solum rerum divinarum & humanarum noticia, æquè ut in Philosopho, sed & iusti injustique scientia, omnisque adeò civilis sapientia cum primis desideratur: quæ non in umbratili illa & ociosa iusti & injusti cõtemplatione, sed potius in actione, quæ ad usum Reipub. & singulorum hominum commoda utilitatesque dirigitur, potissimum consistit: quam ob causam etiam Ulpianus Iurisconsultum, ceu sacerdotem Iustitiæ, veram non simulatam Philosophiam affectare docet. A quo sanè permultum differre videtur Philosophus: quem Plato in Theæteto virum bonum quidem, sed non peræquè civem bonum esse posse asserit: propterea quòd sine civili prudentia, qua Philosophus ferè destituitur, vix quisquam civis bonus esse queat: nunquam profectò ille, aut certè in summa necessitate duntaxat, ad gerendam Rempublicam accessurus, eodem Platone teste. Quanquam enim hominũ illud genus, quod vulgò Philosophantes se profiteretur, solos se sapere & rectè vivendi rationem callere, plerunq; autumat: paucos tamen in his vere philosophos reperias: multò certe plures, quos juvat, si Flacco credimus, *sapientem pascere barbam*: quiq; præter pallium & barbam nihil habent Philosophi: non male idcirco à Tertulliano alicuius sapientiæ animalia nuncupati: ut meritò de his scripserit Pacuvius:

Ego

Ego odi homines ignava opera, philosopha sententia:

Quem versum Macedo Philosophus vir bonus scribi censebat debere præ foribus omnium templorum, auctore Gellio. Quotò maiorem laudem & dignitatem meretur civilis sapientia, quam Iurisconsultus profitetur: quæ tota in hominum societate tuenda versatur: ut nimirum respondendo, cavendo, interpretando, consulendo, iudicando, causasque & lites disceptando, non singulis tantum sed universis proficit hominibus: maxime verò Reipublicæ: cui sane eo nomine rerum omnium status & temporum felicitas merito debetur. Quod agnoscens etiam Euphrates ille Philosophus Syrus Pliniū Secundum de iudicialijs suis occupationibus conquerentem ita solitus est consolari: ut affirmaret, partem quoque esse Philosophiæ, & quidem pulcherrimam: gerere negocium publicum, cognoscere, iudicare, promere & exercere iusticiam, omniaque ea, quæ Philosophi docent, in usu habere. Fremant igitur omnes licet: verum esse nemo inficiabitur: bibliothecas omnium Philosophorum unum jus civile, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate longè superare: id quod de XII. tab. libello seu fonte quodam Iuris civilis, olim à M. Tullio pronunciatum legimus.

Dixi de prima orationis meæ parte, quomodo Iurisconsultus vir bonus esse possit aut debeat: dicam nunc deinceps de parte eius altera, quomodo viri boni munus tuendo, commune bonum totius generis humani idem esse & perhiberi queat: vos, quod adhuc fecistis *AVD*: exigui temporis attentionem deinceps quoque mihi ut indulgeatis, maximopere oro atque obtestor.

Quoniam igitur Iustitia Iurisconsulto seu viro bono proposita est, quæ est finis juris: unde & jus iusticiæ in sacra scriptura passim nominatur: quòd nimirum ordo & norma Iuris sit iustitia: à qua tanquam matre jus ipsum, quia iustum, id est, ut Paulus loquitur, semper bonum & æquum est, & verò esse debet, appellatum est: sanè ex eo facile intelligitur, officium Iurisconsulti seu viri boni longè lateque patere in omni vitæ ratione: eoque maiorem quoque laudem & commendationem mereri. Nam & aliis quò bonum est communius, eò quoque præstantius &

divinius, & ob id laudabilius quoque ac optabilius merito cen-
 setur. Constat autem Iustitiam esse (ut Aristoteles loquitur)
 κοινὸν καὶ ἀλλότριον ἀγαθόν, καὶ πρὸς ἕτερον καὶ ἑτέρω πονεῖν :
 cui salus tam publica quam privata, atq; adeo totius communi-
 tatis humanæ conservatio proposita est. Quam ob causam quo-
 que à Tullio Iustitia nominatur virtus, quæ constat ex homini-
 bus tuendis, id est, ex societate generis humani: quam munifi-
 cè & æq; ipsa tuetur. Sed ut ordo hominis, ita juris & iustitiæ
 ipsius ratio triplex est: vel erga seipsum, vel erga homines ali-
 os, vel denique erga Deum: qui principium est & ultimum re-
 rum omnium: ut ex Pythagoræ sententia differit Plato. In pri-
 mo vitæ honestas, in altero Iusticia, in tertio Religio potissi-
 mum cernitur. Eodem quoq; modo officium Iurisconsulti in
 societate conjunctionis humanæ tuenda, partim erga seipsum,
 partim ad alios homines inter se, partim deniq; ad DEVM im-
 mortalem refertur: ut iustitiæ cultus sit non modo integer &
 sanctus, sed etiam toti societati hominum utilis & salutaris. Ex
 quo etiam jus omne, in quo explicando Iureconsultus versatur,
 aut divinum, aut humanum: & rursus humanum, vel publicum,
 vel privatum esse dicitur. Nam & salus Reipub. in eo contine-
 tur maximè: ut & DEO & homini suum cuique tribuatur: &
 jus conservetur inter homines æquabile: & ne quid fiat, quod
 non sit tum singulis tum omnibus utile: in quo sanè officio exe-
 quendo dum vir bonus esse studet Iurisconsultus: quid mirum
 est commune eum bonum totius generis humani & esse, & ap-
 pellari posse ac debere? Sed de his quidem officij partibus
 omnibus singulatim ordine videndum est.

Primus ergo hominis ordo, ut dixi, erga seipsum est: quem
 animo ita compositum esse oportet, ut summa sit in eo virium
 omnium animæ consensio & quædam veluti harmonia: ex qua
 oritur virtus, vel ipsa potius iustitia, virtutum omnium regina
 & princeps: in qua totius animæ perfectio cernitur. Vnde & à
 Theage Pythagorico Philosopho iustitia ἀρετὰ τελέα καὶ πανυπερέτα,
 virtus perfecta atque suprema nominatur: à quo etiam de-
 finitur συντάγματι τῶν ἀρμογῶν τῶν μερῶν τῆς ψυχῆς, animæ
 partium concentus conjunctio quædam & consociatio: in qua
 scilicet debitum singulis partibus tribuitur: ita ut ratio præsit,
 appeti-

appetitus obtemperet : ex quo non secus ac in cantu symphonia, sic in anima tranquillitas & concordia oritur : quæ Iustitia appellatur. Sed in hoc quidem ordine Iurisconsultus ita munus ritè exequitur suum : si non modò justè, sed etiam honestè, id est, fortiter, temperate, benignè, comiter, mansuetè, moderate, & omninò virtuti congruenter vivit: cavetq; modis omnibus, ne quid indecorè aut libidinosè, vel faciat vel cogitet : sed potius ut secundum normam justitiæ & honestatis ipsius omnes actiones suas componat : & in omnibus rebus ita sese gerat, sicut decet cum primis, bonum non modò civem & bonum Iurisconsultum, sed etiam omninò virum bonum. Quanquam enim Iurisprudencia præcipue ad justitiam & æquitatem accommodatur : unde & à Celso ars æqui & boni dicitur : ea tamen nihilominus aliarum quoq; virtutum rationem habet : ne aliquid committatur, quod non modò inhonestum, sed etiam indecorum sit : quamvis lege non sit prohibitum. Est quidem hæc legis virtus, de omnibus honestatis ac virtutum generibus præcepta præscribere : ut civium ac Reipub. utilitati ac saluti consulatur. Nam & omnis lex, Aristotele teste, jubet atq; imperat : & quid viro forti agendum sit, ne vel ordines deferat, vel fugiat hostes, vel arma abijciat : & quid temperanti, ne committat adulterium, aut contumeliose se gerat : & quid mansueti, ne aliquem verberibus afficiat, aut maledicat : & quid justo, ne lædat alterum, sed suum cuiq; tribuat, neve mala fide bona possideat aliena, aut suo alium jure defraudet : ac præterea lex eadem eos, qui præcepta eiusmodi contemnunt & violant, morte, exilio, vinculis ac damno coërcet : quò nimirum justitia & æquitas in Reipub. causisq; civilibus conservetur. Ex quo etiam lex à Chrysippo summo Stoicæ sapientiæ Philosopho *κανὼν δικαίων καὶ ἀδικίων*, regula justorum & injustorum definitur : à quo etiam justitia non uno in loco Aristoteli appellatur legitima : quòd nimirum ea legis anima & mens, & principium & finis sit : ad quam non solùm Iurisconsultus, sed etiam magistratus, ceu custos legum & conditor, omnia sua consilia & responsa referre debet. *Δεῖ δὲ τὸν νόμον προσάτην τε εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα*, ut idem Chrysippus monet in libro de Legibus. At verò non tam ex legum præ-

B 3

scripto,

Scripto, quam honestatis regula, virtus aut honestas, quæ viro
bono & Iuriconsulto bono proposita est, præcipuè metienda.
Quis enim est (ait Seneca) qui se profitetur legibus innocentem?
& ut hoc ita sit, quam angusta est innocentia, saltem ad legem
bonum esse? Quanto latius patet officiorum, quam juris regula?
Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exi-
gunt, quæ extra publicas tabulas sunt? Rectè etiam Scævola:
Multa (inquit) licent, quæ non decent. Et M. Cicero Scævolæ
discipulus: Est quod non oportet, etiamsi licet: quicquid verò
licet, certè non oportet: Et notum est Pauli I.C. illud: Non om-
ne quod licet honestum est. Cum quo congruit alterum hoc
Pauli Apostoli: πάντα μοι ἔξεσι, ἀλλ' ἔ πάντα συμφέρει. Nam & se-
cundum Menandrum,

τὸ καλῶς ἔχον κρείττον ἐστὶ καὶ νόμος:

Quodcumq; honestum, lege idem & præstantius.

Quomodo & Baldus noster alicubi jus honestatis omni lege
maius & ab omni superioritate exceptum esse dicit: siquidem,
ut rectè monet Augustinus, multa facienda sunt, non lege ju-
bente: sed libera caritate, & salva honestate. Planè enim & civilis
moderationis & omnium legum una ratio est. Iustitia & hone-
stas: cumq; ratio homini data sit, tanquam moderatrix qua-
dam vitæ humanæ: sanè eius æquamento & libramine etiam id
quod licitum jure est, ita ponderandum: ne contra honestatem
aliquid committatur: in eoque sequendum Claudiani illud:

Non tibi quod liceat, sed quod fecisse decebit

Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.

Semper itaque in omnibus rebus, non solùm quid licitum,
sed etiam quid honestum sit, spectandum, auctore Modestino:
siquidem, teste Seneca, id facere laus est, quod decet non quod
licet. Quod & vetus illa Musarum & Charitum cantilena mo-
net:

ὅτι καλὸν φίλον ἐστὶ, καὶ ἔ καλὸν ἔ φίλον ἐστὶ.

Solum enim honestum est bonum: bonum verò, ex quo vir
bonus nominatur, ex Cleanthis sententia apud Clementem
Alexandrinum est.

τεταγ-

Τεταγμένον, δίκαιον, ὄσιον, ευσθεές
 κρατὲν ἑαυτῶ. χρήσιμον, καλόν, θεόν,
 αὐσηρόν, αὐδέκατον, ἀφ' συμφέρον,
 Αφοβόν, ἀλύπον, λυσιτελές, ἀνώδιον,
 Ωφέλιμον, εὐάρεστον, ὁμολογούμενον,
 Ευκλεές, ἀτυφόν, ἐπιμελές, πρᾶον, σφοδρόν,
 Χρονιζόμενον, ἀμίμητον, ἀφ' δαίμονιον:
Quod ordinatum est, religiosumq; ac pium,
Iustum, sui potens, decorum ac utile,
Quod est severum, grave, semper conducibile,
Expers metus, doloris, & molestiae,
Iuvans, placens, pulchrè sibi consentiens,
Clarum, nec insolens, modestum, & vehemens,
Imitabile haud, semper divinum, ac permanens.

Eadem verò honestatis cura tam secretò, quàm palàm, esse
 debet Iurisconsulto: ne suam de se existimationem minoris
 ducat, quàm aliorum: adeoque seipsum sine teste extime-
 scat, ne quid turpe aut indecorum agat. Multi enim famam,
 conscientiam pauci verentur, ut ait Plinius. Maximè verò ad-
 laborare debet in eo, ut apud alios honestus & honore dignus
 sit, & omninò talis existimetur: utque salva & illæsa sibi apud
 omnes constet famæ suæ ratio: ita ut non crimine tantùm
 sed & suspitione criminis vacet. Id enim boni viri est: & hæc
 adeò est nota, qua bonus vir à malo præcipuè discernitur. Vn-
 de & Aufonius in Ephemeride, vel potius, ut alijs placet, Pau-
 linus, inter cætera hoc à Deo petit:

----- *nec vero crimine ledar,*
Nec maculer dubio: paulum distare videtur
Suspectus vereq; reus.

Rectè hoc nam ut nullum periculum, ita nullam famam cõtem-
 nendam censent sapientes: quæ quamvis falsa sit, magni tamen
 cuiq; esse debet. Negligere enim, quid de se quisque sentiat vel
 loqua-

loquatur, non solum arrogantis est, sed etiam dissoluti, teste
 Tullio, Contra autem *ἕδεις φροντίζων δόξης ἀγαθῆς γένοιτ' ἂν ἀνήφαυ-*
λος: hoc est, nemo bonæ famæ studiosus vir malus esse potest, ut
 ait Plutarchus. Pulchrè enim Augustinus: Duæ res sunt (inquit)
 conscientia & fama. Conscientia necessaria est tibi, fama pro-
 ximo tuo. Propter nos conscientia nostra sufficit nobis: pro-
 pter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Pro-
 inde quisquis à criminibus flagitiorum atq; facinorum vitam
 suam custodit, sibi benè facit: quisquis autem etiam famam, &
 in alios misericors est. Qui autem conscientia suæ, ne-
 gligit famam suam, crudelis est. Siquidem nostra vita nobis,
 alijs fama necessaria est. Quòd si igitur hoc modo Iuriscon-
 sultus ex præscripto non solum juris & justitiæ, sed etiam vir-
 tutis & honestatis vitam suam instituit: ut bonus ac honestus
 & sit & videatur: sane is tunc vere beatus, & vir magni nomi-
 nis, de seipso præclarè omninò meretur: non solum muneri
 suo, ut decet, satisfaciendo, & fidem conscientiamq; suam sal-
 vando: sed etiam apud alios laudem & dignitatem, bonamque
 existimationem sibi comparando: multa denique alia vitæ hu-
 manæ commoda & præsidia divinitus impetrando. Maximum
 enim præmium est conscientia tranquillitas: quam dulcem se-
 nectutis nutriculum Pindarus vocat: neque quicquam animum
 exhilarat magis, quàm recte factorum conscientia: cuius indi-
 viduus comes est honos & gloria, & viri boni, quod dixi, am-
 plissimum & longe magnificentissimum nomen: siquidem, ut
 est in græco Senario,

ἄνδρὸς δικαίῃ καρπὸς ἐκ ἀπόλλυται

Fructus viri just: bonus nunquam perit.

Nam & Salomone teste, memoria justii manet cum gloria: at
 nomen impiorum putrescit. Est & illa vox Platonis vera, quæ
 virum bonum & justum Deo imprimis curæ esse, ab eoq; pro-
 tegi & conservari confirmat. *ἔ γὰρ δὴ ὑπόγει θεῶ ποτε ἀμεσ-*
λαῖται, ὅς ἂν προθυμῶς ἐθέλη δίκαιον γίγνεσθαι, καὶ ἴσ' ὅσον
διωατὸν ἀνθρώπων ὁμοίως θεῶν. Quid? quòd leges ipsæ (ut
 eleganter hoc reſcripsit Imp.) neminem sui studiosum in ege-
 state aut angustia rei familiaris vivere, neminem in anxietate
 mori

nōn p̄mittunt: sed p̄cūnias & opes, & in Reipub. honores ac magistratus pollicentur: tantam denique industriæ & auctoritatis laudem, in privatis, in publicis, in nostris, in amicorum & aliorum negocijs conciliant, ut non rarò magnæ hæc sint invidiæ obnoxia: sicut plerunque felicitatis comes est invidia.

Intelligitis opinor A. V. D.: quàm salutare sibi ipse bonum existat bonus Iurisconsultus, si sit, qui perhiberi vult, vir bonus & justus; jam quomodo idem commune quoque bonum & multò quidem magis censerī debeat ex eo jure quod intercedit huic cum alijs, quibus cum vivit in hac civili societate, in qua suum cuiq; tribui convenit, paucis A. V. D. animadvertite. Nam hoc quidem proprium & quasi peculiare munus est ipsius justiciæ: à quo vir justus idem & civis & vir bonus appellatur: & in quo Iurisconsulti officium maximè cernitur: multoq; est difficilius congruenter se habere (ut Aristoteles loquitur) erga alios, quàm erga seipsum. Multi enim secum colere virtutem possunt: in negotio cum alio colere non possunt: vt docet Biantis illud apud Aristotelem: ἀρχὴ τὸν ἀνδρα δεικνυσθαι: & alterum hoc Simonidis apud Plutarchum, πάλισ ἀνδρα διδάσκει. Quemadmodū enim vas integrum sit nec ne, nisi infusa aqua, haud facilè quisquam cognoverit: ita qualis quisque sit, sine magistratu vix vllō modo perspicitur. Nimirum maius quiddam est, quàm vulgo existimatur, cum potestate & imperio versari inter alios homines, & clavum moderari Reipublicæ: cursumq; rectum in vndoso illo mari tenere, & in summa fortunâ ventis non abripi licentiæ, aut libidinis aliquo æstu auferri vel corrumpi: quod certè quàm difficile sit, satis hoc arguit exemplum Pittaci Mitylenæi, qui per decem annos functus principatu, sponte sua se eo tandem abdicavit: id nimirum unum causatus ὡς χαλεπὸν ἐσθλὸν ἐμμεναι, teste Laërtio & Suida. Qui enim magistratus gerit personam, non tam sui, quàm aliorum curam gerit: & in Reipub. administrationem ac societatis curam, quæ longè est difficilima, incumbit præcipuè: quæ longa experientia, ac multorum & variorum negociorum tractatione indiget. Quò fit, ut aliarum virtutum non modò optima atq; præstantissima, sed etiam siquidē Aristoteli credimus, difficilima sit justitia: quoniã commune est & publicum vitæ humanæ bonum, & ad alios refertur,

C

& cum

& cum alijs agit potissimum. In hoc igitur officium Iuriscon-
sulti maxime cernitur: ut quomodo commune bonum vitæ
non modò privatæ sed etiam publicæ revera sit & esse debeat, o-
mni ratione declaret atq; exhibeat. Nam & gratiâ hac præcipue
jus civile comparatum est: ut suum cuique tribuatur, non mo-
dò quod privatis & singulis, sed inprimis quoq; Reipub. debe-
tur: eaq; in omnibus, secundum Florentinum, probatur
justicia, quæ hac norma suum cuiq; tribuit, ut non distrahatur
ab ullius personæ justiore repetitione: verumq; est, quod canon
dicit, nos alijs sic esse in justitia debitores, ut alijs injustitiam fa-
cere non debeamus. Id verò quomodo rectè fieri possit, haud
videre licet, ubi non Iurisconsulti quasi officium simul concur-
rat. Prius autem quomodo Iurisconsultus, ceu vir bonus com-
mune bonum sese præstet in tuendo jure privato singulorum, id
est, eo quod suum est cuiusq; privatim, videndum. Id verò du-
plex est: aut quod propriè cuiusq; est, aut quod cuiq; debetur.
Prius quidem illud partim in persona cuiusq;, partim in rebus
externis consistit: ex quo sunt duo illa juris præcepta distincta,
de quibus jam antè dictum est: alterum non lædere, & suum
cuique tribuere: quorum illud ad ea quæ sunt personæ, hoc ad
res cuiusque pertinet: ita ut res nostras simul & nobis debitas
complectatur. Posterius verò hoc in obligatione, & quam hæc
parit, actione judicijsq; ferè totum versatur: siquidem debetur
cuiq; id, ad quod præstandum sibi alius obligatus est: inestq; ex
parte hæc eadem vis & potestas in hoc præcepto juris postre-
mo, quod est suum cuiq; tribuere, neq; enim id solum jubet re-
stituere domino, quod eius est, sed etiam tribuere cuiq;, quod
illi debetur. Ita nimirum jus suum cuiusq; duabus his rebus
continetur: eo scilicet quod propriè cuiusque est, & eo quod
ex obligatione rectè acquisita cuique debetur. Quòd
si ergo privato alicui juris sui, sive in re sua, sive persona
competentis, sive in iudicio, sive extra iudicium tuendi necessi-
tas incumbat: poteritne is Iurisconsulti ceu viri boni in eo,
modò rectè sibi consultum cupiat, opera carere subsidiaria?
Equidem sic arbitror, neminem esse mortalium, qui rei suæ, ne-
dum personæ, jacturam libenter facere velit. Cara est nimi-
rum, & meritò esse debet cara sua cuique vita: cara corporis
incolumitas: cara libertas: cara denique fama & existimatio:
quæ

quæ omnia à natura cuiq; tributa sunt, vel potiùs à Deo ipso donata: ut non facilè quis ea sibi ab alio eripi aut adimi patiatur. Itaque si in horum aliquo damnum alicui injungatur: veluti, si vita periclitetur; aut lædatur incolumitas corporis pulsatione & vulneribus; aut minuatur vi aliqua libertas, ne uti rebus suis ceu privatis, aut etiam communibus vel publicis, quis libere queat: aut deniq; probris & convicijs similibusq; factis lædatur ipsius dignitas atq; existimatio: an non magno bono & commodo ei tunc fides & opera Iurisci. sulti ceu boni viri futura est? Neque enim vel leges huic defuturæ sunt: quæ has res adimi aut violari vetant; ac si contra factum sit, pœnam & iudicium constituunt: vel etiam remedia ad has res tuendas jure prodita, quæ à prudente Iurisconsulto rectè adhiberi poterunt. Quòd si etiam bona alicuius periclitentur à vi & injuria alterius, quæ, si Phocylidi credimus, vita sunt & quasi secundus sanguis hominis: ne quis jactare suum cogatur, quod nemo velle præsumitur: ne e patrimonij sui & peculij dispendium aliquod faciat: aut jure suo, quod sibi debetur, absque justa causa privetur: an non rursus hic obsecro fides & opera Iurisconsulti viri boni homini privato vel maxime utilis & necessaria futura est? Poterit ne quisquam homo privatus per se rectè ut decet & commodè causam suam iudicio privato tueri atque defendere, qui nulla juris cognitione aut scientia sit instructus? Magnæ profectò fuerit non modò arrogantia, sed etiam impudentia, iudicia privata rerum sæpe gravissimarum ita negligenter obire: veluti usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, servitutum, parietum, luminum, scilicidiorum, testamentorum, hereditatum, successionum, contractuum denique & obligationum cæterarumque rerum innumerabilium: in quibus sæpe non de facto, sed de jure & æquitate certatur: si præsertim, ut fit, in auctoritaribus, in exemplis, in testamentorum aut obligationum formulis, adeoque in medio jure civili versandum sit. Tunc ergo ne causam malè agendo quis perdat suam, & probrum vnà cum damno patiatur: licebit in eo sanè consulere Iurisconsultum, ceu virum bonum, & patronum cau-

num caularum bonum, praesidium clientibus atq; opem amicis
& propè cunctis civibus, lucem ingenij atq; consilij sui spontè
ac ultrò porrigentem atq; tendentem: cuius fidem & operam in
re dubia & ardua, ne damnum aliquod rerum & fortunarum
incurras, superbe & insolenter non velle implorare, nonnè in-
primis flagitiosum putandum est? Quanto satius fuerit opera &
consilio uti boni Iurisconsulti: qui ut quisque opis suæ maximè
indiguerit, ita ei facile possit opitulari; monere errantes: do-
cere imperitos; explicare hærentes; consulere circumventis;
cavere præcipitantibus; patrocinari desertis; tueri bonos;
ulcisci improbos; prohibere iniurias; vim coercere: lites de-
nique ipsas æquabiliter moderateq; cognoscere, easq; rectè &
facile disceptare atq; componere. Quod officiù cum vniversis &
singulis hominibus, tū verò maximè pupillis, viduis, peregrinis,
pauperibus alijsq; personis miserabilibus, quibus præcipuè, ut
Canon ait, compatitur justitia, libenter præstare debet Iuris-
consultus: vt sit nimirum quod dicitur, ἄριστος, χιτῶν, πατήρ ἢ
λιμὴ πεινῶσι, γυμνοῖσι, ὀρφανοῖσι, ἢ τοῖσι ἐν ζάλη: eoq; ipso
testatum faciat omnibus, se bono publico natum & edoctum
quàm optime mereri cupere de toto genere hominum: quò
commune bonum esse queat totius communitatis huma-
næ. Neque verò solùm rebus singulorum, sed multò eti-
am magis Reipub. Iurisconsultus ceu vir bonus quàm maximè
commodare posse creditur, nam & in jure publico, id est, eo
quod ad statum Reipub. spectat, exercendo, æquè ac in jure
privato, quod ad singulorum utilitatem pertinet, studium Iu-
risconsulti eius, qui æquitatem & justitiam in Reipub. rectis
consilijs tuetur, totum ponitur atque consumitur: cui ob id
semper ante oculos obversatur legum ille XII. Colophon: Sa-
lus populi suprema lex esto. Sed hæc quidem potestas populi
olim à Romulo triplex statuta fuisse legitur: in bello & pace
decernenda: in magistratibus creandis: in legibus denique ro-
gandis abrogandisq; auctore Dionysio: hinc etiam jus feciale
& senatorium introductum: quorum illo de bello, pace, fæde-
ribus: hoc verò de jure magistratum, legum, judiciorum agi-
tur: utrumque verò olim in collegio fecialium tractari solitum
fuit: sicut jus sacrorum & sacerdotum, de quo postea dicitur,
in Pon-

in Pontificum collegio : quod & ipsum tamen Ulpianus sub jure publico etiam comprehendere maluit. Nam status quidem Reipub. eiusq; potestas & amplitudo in his tribus rebus potissimum consistit, ut idem Ulp. docet : nimirum in sacris, sacerdotibus & magistratibus. Ex quo intelligitur, Reipub. constitutionem, unaq; eas res, quibus status Reipub. continetur, atq; in his jura & leges, ipsaq; judicia, omnino pertinere ad officium Jurisconsulti : in quibus ipse tanquam bonus vir & civis bonus quum operam suam & fidem probat Reipublicæ; nonne is commune bonum civitatis rectè tunc appellabitur ? Ex quo est Horatij illud in arte Poetica :

----- *Fuit hac sapientia quondam*

*Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.*

Boni igitur Jurisconsulti est, non solum jura & leges in civitate condere & custodire : unde & juris conditores & auctores juris, & legum latores sive νομοδῆται, & νομοφύλακες sive custodes legum, æquè ac magistratus, passim in Cod. & Pand. appellantur : verum etiam ius dicere ac reddere : & id super omnem iniuriam habere positum : ipsa deniq; judicia tam publica quam privata rectè constituere : ut sit non modò finis aliquis litium & controversiarum civilium, quæ Respublicas etiam maximas vehementer concutiunt, ac nisi his opportunè remedium adhibeatur, omnino tandem evertunt : verum etiam ut publicis poenis coercerentur maleficia & crimina publica : quod sanè ita fieri omnino expedit Reipublicæ : tam verò ut si qua Reipub. vis aut pernicies ab hostibus immineat, maturè ea bello atq; armis reprimatur : ut & foris & domi feliciter ac beatè civitas vivere possit. Quæ omnia profectò cum per se ipsa procurare & administrare non possit respub. & civitas : non solum opus futurum est huic sapius fide & consilio bonorum virorum, ceu Jurisprudentum : sed imprimis quoq; prudentia & diligentia magistratuum : qui pacem publicam tueri, cives in officio continere, maleficia pro imperio coercere, civibus jura reddere, ad munera capeffenda cogere invitos possunt, & verò debent : quorum sanè descriptio-

C 3. ne omnis

ne omnis Reipub. moderatio continetur. Sunt enim, per quos
res militaris: sunt & per quos res urbanae & civiles domi admi-
nistrentur: de quibus omnibus cum jure civili prolixè traditum
sit: cuius cognitio propria est & quasi peculiaris ipsius Iuriscon-
sulti: negari sanè non potest, posse eum tanquam optimum Rei-
pub. ministrum, & Iustitiæ satellitè maximum, & athletam ac gu-
bernatorè peritissimum, ut Imperator loquitur, multum quoq;
hac in parte Reipublicæ prodesse ac cōmodare: eoq; ipso se com-
mune bonum esse vitæ humanæ manifestò demonstrare. Nam
& hoc præcipuum munus est Iurisconsulti: habere propositum
officiorum honestorum: intelligere se personam gerere publi-
cam: Reipub. fidei suæ commissam esse meminisse: ut quem-
admodum tutela, ita & procuratio Reipub. ad utilitatem eorum
qui commissi sunt, non eorum, quibus commissam est, geratur:
omnibusq; modis efficiatur illud, ut studio ipsius & labore be-
ata civium vita, opibus firma, copijs locuples, gloria ampla,
virtute honesta sit: adeoque dignitas & decus ipsius Iustitiæ, cu-
ius custodia apud se deposita est, sustineatur perpetuò. Quantæ
verò operæ & quantæ laudis æstimandum est illud, non modò
in subsellijs iudicum & judicijs civitatum, sed etiam regum ac
principum consilijs, vel maxime sapientis & cordati Iuriscon-
sulti ceu viri boni industriam prudentiamque desiderari solere:
cui non modò privata illa, sed etiam publica hæc jura, quæ sunt
propria civitatis atque imperij: tum verò etiam monumenta re-
rum gestarum & vetustatis exempla nota esse debere consen-
taneum est. Qualis ab Ennio in Annalibus sub boni viri ima-
gine depingitur Servilius ille:

*Ingenium cui nulla malum sententia suadet,
Ut facinus faceret, lenis, tamen haud malus idem,
Doctus, fidelis, suavis homo, facundus, suorumq;
Contentus, scitus atq; beatus, secunda loquens in
Tempore, commodus, & verborum vir paucorum,
Multa tenens antiqua, sepulta & sæpè vetustas
Quæ facit, & mores veteresq; novosq; tenet qui
Multorum veterum leges diuùmq; hominumq;
Prudens, & qui multa loqui vè tacere vè posset.*

Nam &

Nam & in causis publicis iudiciorum, concionum, senatus
omnis hæc & antiquitatis memoria, & publici juris auctoritas,
& regendæ Reipub. ratio ac scientia, tanquam aliqua materies
Iurisconsulto, qui in Repub. versatur, subiecta esse debet. Quo
fit, ut non caufidici alicuius, neque proclamatoris, aut rabulæ,
ceu muricis cuiusdam forensis, opera hic satis sit: cuius caninum
studiū & vt Columella vocat, concessum latrocinium plerumq;
pestis est Reipub. maxima: sed eius viri præcipue, qui & artis
ipsius, quam profitetur, sit antistes: & qui possit non tam ca-
duceo (Libet enim L. Crassi apud Tullium verbis uti) quam no-
mine sapientis & eloquentis Iurisconsulti ornatus, incolumis
vel inter hostium tela versari: tum qui scelus fraudemque no-
centis possit dicendo subijcere odio magistratus & civium, sup-
plicioque constringere: idemque ingenij præsidio innocentiam
iudiciorum pœna liberare, & languentem labentemq; populum
aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare
in improbos, aut incitatum in bonos mitigare: qui denique,
quemcunque in animis hominum motum res & causa postu-
lat, eum dicendo vel excitare possit, vel sedare: Quæ qui facere
possit omnia cum ingenio & iudicio: an non is obsecro com-
mune bonum generis humani rectè appellabitur? Iam verò
quid præclarius est & laudabilius, quam summis honoribus &
numeribus Reipub. perfunctum, non modò esse summa in au-
toritate totius populi, sed maxima quoque frui regum & prin-
cipum gratiâ: ita nimirum ut domus ipsius sit veluti Themistioni
quoddam ac sacellum sacrosanctæ justitiæ, & oraculum totius
civitatis aut provinciæ: quæ non minùs ac Q. Mutij illa janua &
vestibulum, maximâ quotidie frequentiam populi ac summorum
hominum splendore celebretur: ac propterea de se quoq; pos-
sit suo jure dicere idem, quod apud Ennium dicit Pythius ille
Apollo: se esse eum, unde sibi populi & reges alijsque omnes
consilium expetant,

*Suarum rerum incerti: quos sua ipse ope ex
Incertis certos, compotesq; consilij
Dimittat, ne res temerè tractent turbidas.*

Plura

Plura equidem **AvD.** hoc loco de muneribus & honoribus
jurisprudentum dicere constitueram: sed hac in parte me esse
longiorem, & aëris prohibet intemperies, & temporis vetat
angustia. Vnum tamen illud adijcere libet, magnam fuisse sem-
per dignitatem, non modo assessorum seu consiliariorum, quos
Comites Consistorianos Imp. nominat: sed multo maxime eor-
um, qui cognitiones & supplicum libellorum vota tracta-
rent, & cancellis principum praesent; quos vel Magistros li-
bellorum, ceu Primicerios scribarum, vel Magistros officio-
rum, ceu Praefectos juris (quos ita Livius vocat) nominare li-
bet: Cancellarios vulgo appellant, jam usq; ab Arcadij & Ho-
norij Caesarum temporibus recepto vocabulo: ut ex Constitu-
tionibus ipsorum apparet. Cui sanè nomini tantum honoris
& dignationis semper habitum fuit, ut quoniam consiliorum
omnium forent participes vel planè potius auctores, non mo-
dò regibus & principibus dignitate proximi essent: sed pro
amicis quoque eorum & patribus haberentur: unde & Patri-
cij postea nominati, quasi *πατέρες τῆ βασιλείας*, vel, ut Suidas vult,
πατέρες τῆ κοινῆ, id est, Principis vel Reipub. patres. Sic enim
passim in legibus amici & patres principum honorificentissimo
nomine ab Imp. salutantur: quomodo Imp. Alexander Seve-
rus magni nominis Iurisconsultum Ulpianum, in Rescriptis suis
modò amicum & tutorem, modò parentem & patrem nomi-
nat: quemadmodum & eiusdem Principis beneficio praefectu-
ra praetorij, quæ omnium dignitatum apex fuit: ut & Quaestu-
ra: propria tandem facta est dignitas Iurisconsultorum: quam
ideo Gloriam literarum Cassiodorus vocat. Sic & Imp. Ana-
stasius laudabile vitæq; hominum necessarium advocatōnis of-
ficium, maxime principalibus præmijs remunerari oportere
rescripsit: propterea quòd advocati, qui dirimunt ambigua
facta causarum, suæq; defensionis viribus in rebus sæpe publi-
cis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus pro-
videant humano generi, quàm si prælijs atq; vulneribus patri-
am parentesq; salvarent. Nec enim solos (ait Imp.) Roma-
no Imperio militare credendum est illos, qui gladijs, clypeis &
thoracibus nituntur, sed etiam advocatos. Militant namq; cau-
sarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine, laboranti-
um spem,

vitam & posteros defendunt : sicut pulcherrimè ita rescripserunt Leo & Anthemius Impp. Denique ne plura afferam, de toto genere mortalium quàm optimè mereri eos, qui jus civile in scholis profitentur, nemini dubium esse potest : quæ ipsa tamen juris interpretandi ratio cum altera illa de jure respondendi ratione ita coniuncta est: ut vix ullo modo ab ea discerni posse videatur. Nam & summo in honore semper fuit ars illa atq; professio : quam quidem ante confusionem illam temporum in possessione sua clarissimos cives & civitatum principes tenuisse compertum est : sicut L. Crassus apud M. Tullium Romæ amplissimum quemq; & clarissimum virum juris scientiæ præfuisse: multosq; , cum ingenio sibi auctore dignitatem peperissent, perfecisse commemorat : ut in respondendo interpretandoque jure auctoritate plus etiam quàm ipso ingenio valerent : eoque scientiæ genere prodesse quamplurimis : ut dubitare profectò sit nefas juris peritum hoc ipso quoque docendi & interpretandi juris munere , ceu virum bonum, rectè commune bonum totius societatis humanæ , & esse & perhiberi posse , ac debere.

Superest ut de tertio ordine hominis, qui est erga DEVM, deinceps absolvamus : in quo & ipso juris & justitiæ ratio maximè cernitur : quam si sequitur Iurisconsultus vir bonus: meritò commune bonum generis humani censebitur. Etenim ut sine Deo bonus vir nemo esse potest: ita vir bonus summæ pietatis erga DEVM sit necesse est, auctore Seneca. De jure igitur divino, quod Iurisconsulto ceu viro bono propositum est, quid & quibus in rebus consistat, videndum. Quemadmodum ergò jus humanum est, quod homini tribuit, quæ sunt hominis : ita jus divinum est, quod DEO, quæ sunt DEI, tribuit. Quæ autem DEI sint, id totum ex verbo divino melius discitur. Ac DEO quidem debetur vera ipsius cognitio & verus cultus. Nam & ante omnia nosse DEVM oportet : & cognitum piè pureque venerari. Opus est itaque religione sacrorum, & ministerio sacerdotum : utrumque sanè hoc jus pars quædam juris publici Ulpiano dicitur : de quo præcipue in Codice nostro agitur : in quo primum de religione & cultu DEI, fideque Catholica : deinde de Ecclesijs earumque jure & privilegijs : tum de Episcopis &

pis & Clericis ceterisq; ministris Ecclesiæ, ceterisque ad ministerium destinatis, eorumque potestate & immunitatibus: postremo de his quæ veræ religioni adversantur, veluti Hæreticis & Apostatis, alijsq; Ecclesiæ hostibus explicatur, Quarum certè rerum omnium cognitio Iurisprudentiæ propria est & quasi peculiaris: quippe cuius optima pars & potissima esse debet religio: quæ nihil est aliud, quàm justitia erga Deum, teste Tullio. Ex quo etiam Iurisprudentia definitur Ulpiano rerum divinarum & humanarum noticia, justis & injustis scientia. Quomodo & Athenæus Iurisconsultum ἐμπειρον ἱερουργιῶν καὶ ἐπισήμονα νόμων πολιτικῶν, sacrorum institutorum & legum civilium peritum esse debere scribit: eamq; ob causam M. Tul. Cicero etiam jus civile cum religione conjunctum esse dicit: vetus nimirum intelligens ius. Pontificium illud, de sacris, de votis, de ferijs, de sepulturis & alijs similibus. Quò igitur maior est vis & auctoritas civilis sapientiæ in omni vitæ ratione: eò magis cum hac conjuncta esse debet pietas & religio: quæ certissima est salutis scientia, & fidelissima administra consiliorum optimorum: quibus sustentatur & in suo statu conservatur Respublica: cuius profectò si expers sit Iurisconsultus; nò tam juris antistes, quàm satelles injuriæ futurus est. Planè enim ut aliarum artium, ita juris disciplinæ nervus est quidam & spiritus sacrosancta religio: sine qua ea consistere nullo modo potest. Perabsurdum verò fuerit, studium justitiæ inter homines colere, & juris æquabilis profiteri distributione: ius verò Dei ipsius, qui fons est justitiæ, omnisq; juris præses atque executor, aut omninò negligere, aut leviter saltem curare: & sic summam Deo iniuriam inferre. Quid? quod per se ipsa sanctissima res est civilis sapientia: quæ & honestæ disciplinæ custos, & quædam quasi παιδαγωγία est, ut Apostolus loquitur, ad Christum; adeoque legis illius divinæ, quam Decalogum vocant, interpret, atque custos: ac insuper doctrinæ cælestis defenstrix atque propugnatrix: cui ea fidas ponit custodias, & tanquam septa quædam circumdat: eamque contra vim atque iniuriam aliorum defendit ac tuetur. Nam & pax Ecclesiæ tranquillitate continetur Reipublicæ: eaq; sub umbra magistratus congregatur maximè & quasi nidulatur: & firmo ita legum præsidio ceu sepimento communita, securius conqui-

conquiescit. Quò fit, ut nusquam res Christiana melius flo-
reat, maioraq; capiat incrementa: quàm ubi vera & germana
dominatur Iurisprudencia, quæ in communi vita (ut ait Imp.)
res æquè divinas & humanas dispensat ac moderatur. Sic ergo
jurisconsultus bonus ceu vir bonus plurimum quoque com-
modat communitati humanæ: si DEO, quæ DEI sunt, tribu-
at: & sapientiæ divinæ studium coniungat cum sapientia civili:
à cuius societate & commercio nunquam profectò illa rectè
excludetur, aut tanquam ingratus comes repudiabitur: eoq;ue
ipso facto commune bonum generis humani merito is æstima-
bitur. Sed longius quàm voluntas fuit, progressa est hactè-
nus oratio mea in munere Iurisconsulti ceu viri boni demon-
strando, quatenus commune sit bonum totius societatis huma-
næ. Quod quidem in eo præcipuè positum esse diximus: si &
divini, & humani juris tam publici quàm privati studium am-
plectatur: si omnem vitæ suæ cursum ad honestatem, ad justiti-
am, ad religionem dirigat: si honestè sibi, justè alijs, piè DEO
vivat: si pietatem colat, virtutem & publicæ honestatis justiti-
am non negligat, aliorum oportunitates augeat, publicis pri-
vatisq; rebus commodet: denique (ut paucis multa com-
plectar) si non sibi solùm & alijs, sed multò magis Reipub. &
Ecclesiæ ac DEO imprimis officium ita probet suum: ut com-
mune bonum totius generis humani ab omnibus meritò judi-
cetur. Hoc nimirum est verè agere Iurisconsultum: si divinæ
pariter & humanæ justitiæ totus deditus, & sibi honestus, &
alijs commodus, & Reipub. utilis, & DEO acceptus vivat: què
animus suus virum bonum, domus patremfam. honestum, Res-
pub. civem utilem, curia aduocatum peritum, aula consiliarium
integrum, schola doctorem industrium, Ecclesia tutorem fide-
lem, ipse quoque Deus cultorem sanctum habet: quem deniq;
singuli homines amicum bonum, pupilli patrem indulgentem,
viduæ maritum diligentem, pauperes largitorem beneficium,
frugi patronum sincerum, mali iudicem severum, boni adiuto-
rem constantem, & ut uno verbo dicam, tota communitas
hominum commune bonum revera experitur: ut rectum ipse
putet & decorum.

Non sibi, sed toti genitum se credere mundo:

quo homine nihil honestius, nihil commodius, nihil divinius cogitari potest.

TALES verò & tam probæ notæ Candidatos juris tres, quos præsentis videtis, & honestatis, & justitiæ, & religionis studio probatos, ceu viros bonos & Iurisconsultos bonos, communi & publico bono, ut omninò sperare fas est, toti societati humanæ feliciter natos & educatos, hodierno die in hunc cætum longè ornatissimum producere nobis visum fuit: publicè & solenniter, ut par est, petituros & accepturos virtutis & doctrinæ suæ præmium meritissimum. Ex his primus ille SAMVEL MOSBACHIVS Gustensis, patre natus SIMONE MOSBACHIO optimarum artium Magistro & Ecclesiæ Antistite, magna præditus indole ingenij & virtutis, post patriæ scholas aliquot annis frequentatas, Portæ primùm in Schola illustri ad Salam, per integrum sexennium humaniorum artium studijs eruditus: ac deinde Lipsiæ in Academia uno anno vix dum exacto, artium liberalium Baccalaureus: postea sequente anno Magister Philosophiæ publicè renuntiatus: dehinc totus addictus Iurisprudentiæ, tam publicè auscultando juris professores, quàm domi legendo de jure scriptos libros, ceu mutos magistros: eam sibi non solum Theoriam juris, sed etiam praxin, quam cum Theoria utiliter conjunxit, brevi tempore comparavit: ut à multis opera eius & industria expeteretur, tum in jure cognoscendo, tum etiam exercendo: qui & aliquot juris diatribas, ac præsertim disputationes publicas ibidem proposuit. Quo factum est, ut ob singularem doctrinam & modestiam, carus quidem Iurisconsultis, neque ignotus Philosophis in ista Academia, Decanus Collegij Philosophici communibus suffragijs fuerit creatus: quo ipso tamen munere & honore vix dum per trimestre spacium perfunctus, ab inclyto & magnanimo Heroe D. ALBERTO Comite sacri Rom. Imp. Schvvarceburgico in aulam vocatus, & Magister scriniorum sive cancellorum publicorum, ceu Præfectus consilij & juris supremus, creatus: tanta laude & commendatione omnium per sesquivennium amplissimo huic muneri præfuit: ut carus suis, exteris admirabilis, omnibus denique acceptus semper fuerit: eamque ob causam non
ita pri-

ita pridem ab Illustrissima Potestate nostra, Aulae Vinariensis
praecipuus consiliarius & Procancellarius designatus, magnam
nobis afferat spem atque expectationem Reipub. & provinciae
nostrae, in partibus eius sibi credendis, recte utiliterque guber-
nandae atque administrandae. Alter vero in ordine qui sequi-
tur IOANNES KECKIVS Halensis, parentibus ipse quoque ho-
nestissimis natus, & bonis literis liberaliter informatus Halae
Saxonum primum: deinde Portae per totum triennium: post
Ienae in hac ipsa Academia nostra, integrum quinquennium, in
qua fundamenta Iurisprudentiae praclare posuit: in Italiam de-
inde profectus, tum loca externa visendi, tum etiam Iurispruden-
tiae studia continuandi gratia, praecipuis in Academijs Patavij,
Bononiae, Florentiae, Senis, Romae, Neapoli versatus: inde di-
gressus, tota Italia & Sicilia bis peragrata; perlustrata quoque
Melita insula; reversus postea domum Lipsiae Iuris studium fe-
liciter haecenus exercuit: forensesque praxin & usum ad Iuris
theoriam adjunxit: & in hoc toto munere se ita gessit, ut non
solum in scholis, sed etiam foro atque judicijs, approbationem
meruerit bonorum virorum, & de virtute ac doctrina recte ju-
dicantium. Tertius denique BARTHOL. REVSNERVS Vra-
tislaviensis commendationem meam non requirit: satis, ut ar-
bitror, notus Academicis omnibus, praesertim Iuris antecesso-
ribus, ut & studiosis Iuris, quibuscum vixit in hac Academia
per integrum triennium. Patrem is habuit cognominem BAR-
THOL. REVSNERVM Medicum verè Philosophum, imò The-
osophum: Poliatrium primum Reip. Vratislaviae, deinde Zittaviae
ad radices Sudetum sitae: cuius aliquot scripta non solum in ar-
te Medica, sed etiam in Theologia, publicis extant prodita li-
terarum monumentis: de quibus plura dicere non debeo. Post
prima linguarum & artium humaniorum studia, quae in patria
feliciter absolvit; cum exemplo Patris CHRISTOPHORI
REVSNERI Iureconsulti ad Iuris studium animum suum ap-
plicaret, nobilissimi & amplissimi viri ISRAELIS REICHE-
LII Senatoris Vratislaviensis primarij affinis sui, à quo ipse
tota pueritia instar filij educatus fuerat, literis praecipue com-
mendatus, Argentoratum se contulit: ubi domesticus & fami-
liaris, ut & hic Ienae, factus meus, per totum ferè septennium,
P 3 me ipso

me ipso quoque duce & auctore; cum Philosophiæ universæ,
tum imprimis civilis sapientiæ & Iurisprudentiæ doctrinam stu-
diosè perdidicit: in qua etiam non disputando solùm ac decla-
mando, sed etiam docendo ac repetendo, cum seipsum, tum
alios bonæ notæ & illustris ordinis adolescentes hætenus exer-
cuit, & ad usum Reipub. ac fori præsertim & ipsius Scholæ sese
diligenter præparavit ac præmunivit. Quoniam ergo per legi-
timos tramites civilis disciplinæ feliciter ingressi hætenus Can-
didati nostri: neque solùm ex temporis cursu, sed multò magis
ex studiorum profectu aliisque spectatæ scientiæ experimentis,
ceu meritis quibusdam promotionis: tum verò maximè ex pu-
blico privatoq; examine, & lectione cursoria, disputationeque
publica, secundum leges & statuta Collegij juridici: ac denique
ex suffragio & decreto amplissimi ordinis Iurisconsultorum fa-
ctis approbati & digni iudicati fuerint, quibus publicum doctri-
næ testimonium, ceu insigne quoddam honoris & gloriæ solen-
niter decerneretur: eapropter te, Magnifice Domine Ordina-
rie, IOANNES STROMER, Decane & Procancellarie di-
gnissime, Collega & Affinis honorande, cum meo, tum ipsorum
Candidatorum nomine, magnopere rogatum volo: velis ju-
beas pro auctoritate illa, qua fungeris, Candidatis his tribus, id
quod obnixè petunt, supremum Docturæ titulum & gradum,
per me illis tribuere, assignare, decernere, & de jure publicè
respondendi potestatem & auctoritatem benignè concedere.
Quod officium, & tua persona dignum, & Collegio nostro to-
tiq; Academiae honorificum: denique his Candidatis no-
bisq; adeò omnibus, ut spero & opto, jucun-
dum indies magis ac magis futu-
rum est.

D I X I.

P R A E-

P R A E S E N T A T I O S P E C -
T A B I L I S D. D E C A N I E T
P R O C A N C E L L A R I I.

M Agnae nobis omnibus delectationi & voluptati fuit,
Amplissime Domine Senior, Promotor dignissime, col-
lega ac affinis carissime, oratio ista tua de Iureconsulti ceu vi-
ri boni officio, à te tam splendide ornateq; habita; oportuno
non solum loco, sed etiam tempore. Quid enim de Iuriscon-
sulto, non dicam magnificentius aut splendidius, sed verius
commodiusq; dici poterat: quam eum & virum bonum, & si-
mul commune bonum totius generis humani esse & appellari
posse ac debere? Quem sanè utrunq; titulum cum re tunc is
consequitur: si iusticiae, cuius ipse Sacerdos est, & quasi my-
stes, & ex qua vir bonus propriè nominatur, cum primis studio-
sus: publicè priuatimq; societatem adiuuat humanam: cumq;
intelligat, non sibi se solum, sed alijs quoq; hominibus, & in-
primis Deo totiç, Reipub. commodare ac prodesse debere; utri-
usque tam publici, quam priuati Iuris rationem ducit maxi-
mam: sancta & iusta communiç, hominum societati utilia &
salutaria, non modò faciendo, sed etiam docendo ac dicendo,
& in primis secundum præcepta iusticiae, honestè vivendo, al-
terum non ledendo, suum cuiq; tribuendo: in quibus omnis
Iustitia ipsius, ex qua ius ipsum & Iurisconsultus appellatur,
vis & ratio potissimum consistit. Quanquam verò non igno-
ro multos saepenumero reperiri, non modò ex face ista homi-
num barbarorum: sed etiam eorum qui religiosi & sapientes
(si dijs placet) esse & perhiberi volunt: quos ingens trahit li-
bido labem aliquem amplissimo nomini & ordini Iurisconsul-
torum aspergendi: eosq; vel improbitatis vel impietatis nomi-
ne suggillandi aut cauillandi: consuetis nimirum in eos nescio
quibus falsis, vel potius insulsis, imò impijs & nefarijs scomma-
tis &

sis & dicterijs : minimè tamen his moueri nos decet , qui Iustitiam colimus , & , qua eò nos deducit , Iurisprudentiam : sed animo persuasum habere illud , officia isthac , qua Iuris & Iustitiae ratio praescribit , rectè ut decet , exequendo , optimè Iurisperitos mereri de toto genere humano : eog, ipso per se unumquemq, nostrum , quòd , ut Vlpianus monet , Iustitiam colit , boni & equi notitiam profitetur , licitum ab illicito discernit , bonos ciues praemiorum exhortatione , & metu pœnarum , quantum in se est , efficere studet , deniq, in omni vita sibi hoc propositum habet , ut prosit omnibus , obsit nemini , sed potius suum unicuiq, pro dignitate tribuat , maximam omnino afferre utilitatem vitæ tum publicæ , tum priuatæ ; adeog, ex eo verè bonum virum , & commune bonum totius generis humani rectè & esse & appellari posse . Tales verò , & tam præclara spe , imò re , boni nominis & ominis , Candidatos hosce tres , amplissimo collegio nostro Iuridico , ceu bonos non modò viros sed etiam Iurisconsultos , censura nostra & solennibus diatribis abundè comprobatos : cum abs te , Collega optatissime , tantopere mihi commendari intelligam : non possum equidem cum ipsis & nobis , tum etiam Academia nostra & imprimis toti Reipublicæ Christianæ , de communi isto & publico bono vehementer congratulari : & de eorum dignitate atq, salute optima quæq, & secundissima ominari atq, comprecari , futurum omnino sperans , vel planè potius confidens , commune bonum per hos ceu viros bonos , & bonos Iurisconsultos , in prouehendis sacrosanctæ Iurisprudentiæ & ipsius Iustitiæ studijs atq, officijs , suo loco & tempore , ut hæctenus , ita in posterum indies magis atq, magis promoueri atq, amplificari posse . Proinde quod à me , & ipsorum , & tuo nomine petis : id omne , ut petis , fidei & beneuolentiæ tuæ ratum & acceptum reddo : iniquus admodum censor futurus : si ipsorum votis , & honestissimæ postulationi tuæ annuere recusarem ; cum iam antea de-

cretum

cretum placitumq; Collegij nostri in eo intercesserit. Quamobrem ex singulari potestate Imperatoria, qua in presentia sumor, primò omnium Candidatos hosce tres Juris & Iustitiæ universos & singulos, ceu bonos viros, & communi bono natos. & quidem nominatim, te SAMVELEM MOSEACHIVM Gustensem, te IOANNEM KECK Hallensem, & te BARTHOLOMEVM REVSNERVM Vratislaviensem, Juris utriusq; Licentiatos creo, ac creatos renuncio in nomine sanctissimæ Trinitatis, Dei Patris Filij & Spiritus Sancti. Adhæc plenam tibi, Promotæ Amplissime, facultatem & auctoritatem tribuo, Licentiatos hosce tres prænominatos honorifico Doctorum gradu, qui in Jure supremus est, & Nobilitati comparatur, publicè ac solenniter ornandi, eosq; data prius fide, in Doctores utriusq; Juris promovendi, & promotos publica voce renunciandi: præterea unà cum Juribus & privilegijs Doctoralibus potestatem ijs tribuendi, & auctoritatem conferendi: quo ipsis in Scholis publicis, docendi, legendi, respondendi, disputandi, dubia declarandi, & interpretandi tam in iure Canonico quàm Ciuili, cæteraq; Jurisconsultorum munia & officia exercendi in omni vitæ ratione perpetuò sit integrum: sicut & mos huius Academiae & Collegij nostri auctoritas hoc efflagitat: Deum Optimum Maximum obsecrans: ut quod à nobis nunc fit, & fiet deinceps, id omne bonum felix & salutare sit Academiae nostræ, totiq; Reipublicæ Christianæ.

D I X I,

E F O R M V,

FORMULA IURISIVRANDI.

Antequam recipiatis insignia Doctorum Iuris, prius fidem vestram astringetis, & digitis duobus scepro impositis promittetis:

I. Reſtori Academiae & Facultati iuridicae vos obedientiam praestituros in licitis & honestis.

II. Honorem & reverentiam debitam vos exhibituros Facultatis vestrae Doctoribus, & Promotores vestros parentum loco observaturos.

III. Memoriam huius beneficii nunquam vos deposituros.

IV. Statuta & statuenda per Facultatem vos servaturos.

V. Secundum jus divinum & humanum, adeoque; leges scriptas, consuetudines & statuta honesta vos pie, iuste, incorrupte iudicaturos & pronuntiaturos: caeteraque; boni iureconsulti ceu viri boni munera obituros.

VI. Curae vobis fore deinceps Ecclesiae Academiaeque; nostrae, ac praecipue etiam Facultatis iuridicae honorem, exultationem, famam, dignitatem, utilitatem, salutem: eamque; contra omnium injuriam vos pro virili parte vestra defensuros.

VII. Nunquam vos honorem istum vobis collatum ab ulla alia Academia, sive publice sive privatim, petituros amplius.

ACTVS PROMOTIONIS.

Quod ergo Deus Opt. Max. bene vertat, & Academiae nostrae toti que; Reipub. Christianae commode feliciterque; evenire velit: ego auctoritate publica, qua jam fungor, nomine amplissimi Collegij iuridici, immo totius Senatus Academici, vos tres Iuris Prolytas ceu Licentiatos: & quidem nominatim te SAMUELEM MOSBACHIVM Gustensem, te IOANNEM KECKIVM Halensem, te BARTHOLOMAEVM REVSNERVM Vratislaviensem, supremo titulo & gradu jurisprudentiae orno: vosque; in utriusque; Iuris Doctores, tam Pontificij quam Caesarei, promoveo, promotosque; renuncio, & sic promotos atque; renunciatos publica voce proclamo: In nomine Sanctae & Individuae Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Porro

Porro quoniam renunciationi huic solenni sapiens antiquitas ritus quosdam solennes, certaque ornamenta & insignia, ceu symbola quaedam addidit: pro more & instituto Academiae huius laudabili, ea quoque ordine expediam: eorumque mysteria, quid sibi ea velint, & quomodo Candidatos officij sui admoneant, paucis edocebo.

I. CATHEDRA.

Ac primo quidem Cathedrae jus vobis concedo: & in exercitia legum vos mitto ac recipio: eodemque pacto docendi, quam vocant, licentiam & auctoritatem publice jus profitendi, & de eo respondendi, vobis singulatim universumque tribuo. Sedes enim est Cathedra docentium in Schola & Ecclesia: sicut & Christus salvator noster Phariseos in Cathedra Moisis sedere, & in ea docendi fungi munere testatur. Quo ergo eminentior est locus iste, omniumque oculis magis expositus: eo maior non modo dignitas & auctoritas vestra, sed etiam cura & diligentia in posterum futura est: ut intelligatis, vos deinceps non in hominum ignoratione, sed in publico versari: vestramque vitam & doctrinam, tanquam in sublimi loco positam, omnium oculis patere: quo & laudabilem in vobis vitam probis moribus demonstrare, simul & docendi peritiam, & facundiam dicendi, & interpretandi subtilitatem, & studium ac laborem legendi assiduam publice omnibus declarare liceat: sicut praclare hoc docet Imp. Justinianus in l. un. C. de professor. qui in urbe Constant. doc. ex lege mer. comit. lib. 12.

II. LIBER.

Deinde cathedrae Librum impono: eoque ritu vos moneo, ne in cathedra ociosi sitis: exemplo Esdrae, de quo scriptum legitur, eum sacerdotem & lectorem legis super cathedra, ceu tribunali & suggesto, assumpsisse librum coram multitudine: & in conspectu omnium praesedis cum honore & gloria. Sed hunc quidem librum primum vobis apertum exhibeo: eoque ipso vobis in mentem revoco Imp. Justiniani illud: Erubescendum esse Jurisconsulto, sine lege loqui, aut temere aliquid velle affirmare. Eo-

re. Eodemq; modo legendi ac dilcendi studium perpetuum vobis commendo, exemplo Saluij Iuliani: qui etsi alterum pedem in sepulcro haberet, tamen se adhuc aliquid discere velle, de se affirmare solitus fuit, teste Pomponio. Clausum verò eundem librum vobis reddo: ut moneam, non libris, sed animo jus inscribendum esse maximè, ita ut etiam sine libris de iure respondere prompti & parati sitis: ne semper libris ita vobis putetis confidendum: sicut dives ille ridiculus apud Senecam, qui sic animum induxerat, ut se tenere crederet, quicquid servorum quisquam meminisset. Tantum enim profectò quisq; scit, quantum memoria tenet. Quam ob causam etiam Socrates olim literas vehementer officere memoriæ iudicavit. Sed & utroque hoc libri aperiendi & claudendi ritu illud vobis subiicio: vos pariter τὰ ἔντα καὶ ἀέθια nosse: & sapientiam sine fictione discere, & sine invidia communicare, & mysteria juris, quibus oportet, aperire, neque cuiquam, nisi indignis, abscondere debere: ut monet vir ille sapiens in libro Sapientiæ: habentes semper præ oculis illum, qui solus habet clavem Davidis: & aperit, nemine claudente; & claudit, nemine aperiente, ut Propheta loquitur.

III. P I L E V S.

Pileum etiam & apicem hunc, vetus insigne docentium, ceu lauream quandam coronam capiti impono vestro: eoque ceu symbolo quodam vos in libertatem illam auream, liberali (quod aiunt) manu assero, assertosq; vindico. Nam & olim apud Romanos libertatis insigne erat tegmen capitis, pileus: ut Quintilianus testatur. Birretum vocabant antiqui, quasi bis rectum: symbolum, ut arbitror, duarum rerum præcipuarum: quæ in optimo doctore desiderantur: probitatis nimirum morum, & doctrinæ: ut Lucas de Penna alicubi tradit. Eo autem caput ceu mentis & rationis sedes exornatur potissimum: quippe qua una ad juris scientiam & doctrinæ cognitionem quis promoveri potest: ex quo dignitas quoque refulget maxima. Nam & magnus ille Moses acceptis legibus & tabulis divinis, ex monte Sina descendens, magna erat in admiratione apud

ne apud populum, quòd radijs ceu cornibus quibusdam præd-
tus videretur: id quod alijs patebat, ipsi uni erat ignotum. Et
Ammianus Marcellinus tiaram impositam capiti, summi hono-
ris esse insigne apud Assyrios affirmat. Cui suffragatur commu-
nis consuetudo passim recepta apud magistratus cuiusque ge-
neris, tam sacros quàm profanos: siquidem & summo Pontifici
Phrygium, Regi vel Cæsari corona, Episcopo mitra, in signum
honoris & maiestatis, imponi consuevit. Sed & forma pilei vos
quod admoneat, suppeditare aliquid videtur. Nam rotundi-
tas quidem eius de perfectione ipsius Iurisprudentiæ, de quæ
pulcherrimo orbe disciplinarum, quam Græci ἐγκυκλοπαιδείαν
vocant; ut & de Iurisconsulti, ceu boni viri officio, qui in se
semper debet esse, ut ille loquitur, teres atque rotundus, com-
monefacere debet: tum verò color eius ruber vel potius pur-
pureus, non tam pudoris & verecundiæ honestatem, quæ omni
in re commendationem suam meretur: quàm imperium & ju-
risdictionem, quæ cum officio Iurisconsulti ferè conjuncta est,
denotat: quæ quidem ab eo sic exercenda est, sicut juris & justi-
tiæ ipsius ratio flagitat.

IV. ANNVLVS.

Præterea annulum quoque cuique vestrùm trado, eo quæ di-
gitos vestros orno, non solum in arrham matrimonij contracti
cum sacrosancta Iustitia, vera quæ & germana eius sorore Iuris-
prudentia: cuius vos sacerdotes & mystas, ceu amasios & spon-
sos, pronubo isto annulo declaro atque nuncupo: verum etiam
in signum nobilitatis & ordinis equitum vobis iam per me hoc
ipso honore collati; ut intelligatis vos modò jure aureorum
annulorum uti posse, & dignitati equestri adæquatos. Nam &
olim Divus Augustus unam ex Decurijs, quam judicijs præfe-
cit, in annulis esse voluit: unde fiebat primus ad Rempub. re-
gendam gradus, auctore Plinio. Quemadmodum & Caius Cæ-
sar postea eadem annulorum, aut (ut Imp. scribit) imaginum
prærogativa usus est in danda ingenuitate, & in antiquis nata-
libus restituendis: licet id postea abolitum sit; quum tertia
manumissione liberti & ingenui ac cives Romani efficerentur:

ut in Authenticis proditum est. Et verò nobilitas rectè filia scientiæ dicitur: sicut & aliàs Iurisscientiam nobilitare, adeoque privilegijs nobilium ordinem hunc gaudere vulgò traditum est, teste Bartolo & Tiraquello. Sed & hac ipsa ceremonia signandi responsa juris potestatem tribuo: quæ nemini, nisi in hunc ordinem cooptato, signare isto modo licet, ut Pomponius noster scriptum reliquit.

V. OSCULVM.

Postremò his omnibus adiicio Osculum pacis & concordia: in signum & pignus novæ amicitia & societatis cum amplissimo ordine Iurisconsultorum contractæ. Sic enim antiquos olim, ac præcipuè Persas, osculo & suavio amicos & propinquos suos excipere & dimittere solitos fuisse legimus. Quomodo & D. Paulus discipulos in primo congressu osculo pacis salutare, eosdemq; relicturus, singulos osculatus esse legitur. Sit igitur osculum hoc symbolum unitatis & pacis concordiaque firmissimæ: quam studia legalia vel maximè requirunt, auctore Innocentio Pont. Max: ut semper memineritis, non tam ad actiones & formulas juris intendendas, aut lites instruendas: quàm ad pacem & concordiam ferendam, in prudentia legum vos profecisse: & cum sapientia ac virtute vinculum omninò indissolubile contraxisse.

VI. GRATVLATIO.

Quod reliquum est, vobis, Clarissimi Doctores, de honore isto adepto etiam atque etiam gratulor: & super vobis Dei immortalis nomen invoco: ut honoris huius novi accessionem vobis faustam felicemq;, Academia nostræ honorificam, denique toti Reipub. Christianæ salutare esse velit: vosque non modo Iurisconsultos, sed etiam viros & cives Reipub. bonos, & per hoc commune bonum, vitæ non modò publicæ, sed etiam privatæ, adeoq; totius societatis humanæ, ac præterea vasa & organa misericordiæ & gratiæ divinæ perpetuò esse dignetur.

D I X I

A C L A

ACCLAMATIO SAMV-
ELIS, SAM. F. MOSBACHII,
ad tres Iuris Doctores Novellos,



Qui me tam tenerum, duo nondam lustra videntem,
Cernitis in tanto cœtu prodire puellum:
Magnifici, illustres, generis splendore nitentes,
Insignes pietate viri, Iurisq; periti,
Inclyta quos Astræa fovet, Phœboq; dicati,
Et vos qui peregrè huc alijs venistis ab oris:
Ne decus in puero vos amisisse pudorem,
Nec prius ætatem me non tentasse putetis.
Scilicet hunc nostri dudum consueta Lycei,
Ac pia iussa mei Patris imposuere laborem:
Cui morem gerere & semper parere decebit,
Et quoniam restant solvenda enigmata iuris,
Te compello, Pater, simul & compello Novellos
Iuris Doctores tecum modò ritè creatos:
Vos, meus ad dextram iam quod Problema sodalis
Proponet, cupidos discendi quæso docete:
Consulti Themidis si vultis ritè vocari.



Q V Æ

Q V Æ S T I O P R O P O S I -
T A à D E S I D E R I O E V L E N B E -
C I O C L . V . D . D A N I E L I S E V L E N -
becij I C . F .



Vanquam non ignoro, Rector Magnifice, Concio Illustrissima atq; ornatissima: eam esse ætatem meam; ut non tam loquendi, quam tacendi artem profiteri meritò debeam (Neq; enim utriusq; huiusce artis nosse me tempora, æquè, ut Ino illa apud Euripidem, gloriari, ullo modo posse videor) vestræ tamen sapientiæ & humanitatis esse arbitror; veniam mihi ex hoc tam illustri & splendido loco aliquid dicendi benignè indulgere: in eoq; non tam ingenij & doctrinæ, quæ in hac profectò ætate magna expectari non potest, quam pietatis & observantiæ erga præceptores, quæ meam personam maximè decet, præcipuam rationem habere. Planè enim majorem obedientiæ in hac ætate nostra, quam eloquentiæ laudem esse intelligo. Dicam ergo breuiter, & pro laudabili Academia huius instituto quæstionem proponam non inutilem, ut spero, aut injucundam auditoribus futuram: Causa semel jurejurando decisa, an prætextu periurij retractari possit aut debeat: & si non possit, utrum pæna periurij ulla humana sit jure constituta, an verò sola sufficiat ultio atq; vindicta divina? Et quidem ad primum membrum quæstionis huius quod attinet, sanè dicendum esse videtur, posse & omninò debere eiusmodi causam etiam jurejurando decisam, siquidem de perjurio constet, rursus jure ipso rescindi aut retractari: non solum ob eam rationem, ne cuiquam fraus sua patrocinetur, aut dolus profit, & alteri obsit: Verum etiam ne eodem pacto via impijs aperiatur periurij, impunitate eorum intellecta: quod utrumq; sanè lege prohibitum est; id que eò magis, quod pro regula traditum est, in malis promissis fidè seruari non debere: & juramentum contra bonos mores non esse (ut canon loquitur) obligatorium. Contrarium tamen ego ut statuam, moveor hac potissimùm ratione: quòd nimirum ea est vis ac potestas ipsius jurisjurandi; ut per hoc omnis
termine-

terminetur lis atq; controversia: unde etiam à Cajo Iureconsulto
iuramentum litium expediendarum remedium, & à Paulo com-
pendium litium nominatur: eodem planè modo, quo Diuus
Apostolus in Epistola ad Hebræos finem omnis controversiæ,
ad fidem majorem, iuramentum appellat. Nam ut transactio,
ita iuramentum, finem imponit litibus: & quod hoc modo de-
cisum est, omninò pro re iudicata & veritate ipsa habetur.
Quod si ita verum est, ut planè existimo: sanè coërceri aut vin-
dicari pœna aliqua ordinaria à magistratu ejusmodi crimen de-
bere, par & æquum videri poterat: ne scilicet profit tunc per-
juro iuramentum, quod & falsum est, & impium, & omnino de-
testabile: id quod ad alterum propositæ quæstionis membrum
pertinet. Nam hoc quidem disertè affirmare videtur lex illa
xii. Tab. apud M. Tullium: Periurij pœna divina exitium, hu-
mana dedecus esto. Qua nimirum lege duplex perjuri pœna
statuitur: una divina, animæ exitium: humana altera, dedecus,
hoc est, infamia: illa Dei solius, hæc magistratus civilis est;
utraq; profectò perjuro pœna debita: qui & pietatem in De-
um violat, & fidem inter homines tollit; atq; adeò una opera
Deum offendit, & homines, auctore Diodoro. Quam ob
causam etiam apud Aegyptios, Indos, Scythas aliosq; populos,
In perjuros capitalem pœnam statutam fuisse legimus.

Quanquam verò ab hac sententia, quam dixi, non libenter
discedo: ambiguum tamen me facit & ancipitem valde Divi
Alexandri Imperatoris in Codice rescriptum hujusmodi: Iuris-
jurandi (inquit) contempta religio satis Deum ultorem habet.
Pœnam perjuri, quod nihil aliud est quàm Iurisjurandi con-
tempta religio, solius Dei permitti vult iudicio; quasi per se
satis hoc grave & intolerabile reo futurum sit, quippe quæ
æternum est exitium; etiamsi nulla alia accedat pœna tempo-
raria. Nam & solius Dei est hæc injuria, cuius nomen & maie-
stas periurio læditur maxime. Potius ergò ad Deum, quàm
homines, vindicatio injuriæ illius pertinet; qui solus ut justus
iudex, ita ultor & vindex criminis illius severus omninò futu-
rus est: utiq; non impune dimissurus eum, qui nomen Domini
impie pejerando profanaverit, sicut in lege Divina scriptum est.
Sed hæc quidem utraque quæstio multò est gravior & difficili-

F

or: quàm

or; quam ut à me pro dignitate explicari queat. Quare ut
vos, Clarissimi Doctores Novelli, vestrum in ea disceptanda
iudicium interponatis; & propter Scholæ consuetudinem de
hoc argumento prolixius aliquid dicatis, meq; in eo præ-
cipuè hæsitantem aliquo modo erudiatis; mayo-
rem in modum rogo.

D I X I.

R E S P O N S I O

ad

Q V A E S T I O N I S P R O -
P O S I T A E P A R T E M P R I M A M,
R E C I T A T A à D. S A M V E L E M O S B A C H I O
Iuris utriusq; Doctore;

C A V S A S E M E L I V R E I V R A N -
do decisa utrum prætextu periurij retractari possit,
nec ne?

Magna & ardua est quæstio, quam proponis, EV-
LENBECI desideratissime; eaque in usu fori no-
tanda cum primis, atque observanda diligenter: v-
trum nimirum causa iureiurando semel decisa præ-
textu saltem periurij retractari possit aut debeat:
& si de periurio constet, an pœnæ alicui humanæ locus sit, an ve-
rò sola ultio sufficiat divina. De qua sanè quæstione, pro mo-
re Academiæ, ex consilio Magnifici & amplissimi Promotoris
seu Designatoris, animi nostri sententiam & iudicium vobis ex-
ponere dum conamur: DE I Opt. Max. numine, ut pium & fas
est, prius invocato: vestram, AVD. ORN. in audiendo fidem
benevolentiamq; meritò imploramus: vosq; omnes, qui in hzc
incluta & illustri adestis corona, ea, qua par est, animi subie-
ctione & reverentia oramus atque obtestamur: ut nostram in
differendo de hac tam ardua & difficili quæstione inopiam, stu-
dio & favore vestro benignè & humaniter adiuvetis. Principio
quidem, optime Adolescens, de priore huius quæsitæ parte re-
ctissime

Etissimè videris mihi illud statuisse, Causam semel jurejurando terminatam prætextu perjurij amplius retractari nec posse nec debere. Sic enim apertè rescriptisse hoc videtur Imperator Antoninus: *l. 1. C. de iurejur.* Causa (inquit) jurejurando ex consensu utriusq; partis, vel adversario inferente, delato ac præstito, vel remisso, decisa, nec perjurij prætextu retractari potest. Quam in sententiam Cajus quoq; Iurisconsultus respondit: *l. admonendi in fin. ff. de iurejur.* Si (inquit) inter eos jurejurando transactum sit negocium, non conceditur eandem causam retractare. Planè enim secundum Iurisconsult. Pomponium in eo stari religioni jurisiurandi debet, per quod negocium huiusmodi ita transactum videtur, ut licet postea perjurium fuerit probatum; non propterea de dolo in eum competat actio: Contrà quam voluit Atteius Labeo, cui sententiæ suffragatur quoq; Marcellus libro octavo Digestorum, teste Ulpiano. *l. Quod si deferente ff. de dolo malo.* Etenim magna jurisiurandi vis est & religio, quo nullum ad astringendam fidem vinculum est maius aut arctius: unde Aegyptios *μεγίστην τὴν πᾶρ ἀνθρώποισιν πίσιν* censuisse Iusiurandum, testis est Diodorus; Quippe cum Iusiurandum, auctore Tullio, sit affirmatio sancta; & ut Aristoteles ait, *μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος*: ut meritò fides eidem plena adhibeatur: & per hoc omnis finiatur lis atq; controversia civilis. Quam ob causam etiam jusiurandum à Diuo Apostolo *ἀπάσησ ἀντιλογίας πέρασ εἰσ βεβαίωσιν* definitur; *Hebr. c. 6. & c. etsi Christus.* De iurejur. Ex quo non minus pulchrè, quàm verè Cajus *l. 1. C. de vi & effectu Iurisiurandi* disputans *l. 1. de iurejur.* Maximum (ait) remedium expediendarum litium in usum venit Iurisiurandi religio: qua vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate Iudicis deciduntur controversiæ. Qua ratione à Paulo quoq; *l. 2. ff. de iurejur.* Iusiurandum speciem transactionis continet; maioremq; habet auctoritatē, quàm res iudicata. Quò fit, ut sicut transactio per probationes postea repertas non rescinditur. *l. sub pretextu C. de transact.* ita nec Iusiurandum ullo prætextu enervatur: ne ipsius quidem perjurij: adeò quidē, ut quamvis is qui jusiurandum detulit, paratus sit pro-

fit probare adversarium pejerasse, minimè is audiatur: neq; iterum de eadè re agendo, eadem actione vel alia, neq; etiam de dolo agendo *d. l. quod si deferente*. Et quemadmodum sententia semel lata in re transit iudicatam, ut nullo modo postea eam retractare liceat *l. 5. §. dato l. sed si possessori. §. fin. l. sed etsi. §. itè si notavero. ff. de iureiurando*. eodem planè modo præiudicium fit iureiurando: ut pro veritate adeoq; vera probatione omninò habeatur: ac perinde tunc is qui iuravit, existimetur, ac si iudicio planè sit absolutus *l. si deferente. ff. Quib. mod. pign. solvitur. l. 1. ff. Quarum rerum actio nõ datur*. Cumque multò plus sit aliquem suo, quàm alieno, damnari arbitrio: quod nimirum ei contingit, qui iusiurandum hoc modo defert, *l. non erit. §. dato. ff. de iureiur.* quo ipso quasi decidens cum altero & transigens, eatenus liti cedit, quatenus is iuraverit; satis ex eo verum esse apparet, quod Iurisconsultus Paulus dixit, *d. l. 2. maiorem habere auctoritatem iusiurandum, quàm rem iudicatam*. Qui & ipse alio in loco *l. tutor. §. 1. ff. de iureiur.* iusiurandum non solum pro iudicio, sed etiam pacto convento cedere respondit: ut & pro solutione, qua utraq; tollitur obligatio tam naturalis quàm civilis: saltem ob hoc ipsum, ut dixi, quòd utriusq; partis consensus in præstatione iuramenti tunc intervenit: & sic utriusq; litigatoris voluntate aut conventionem à lite controversiaq; disceditur. *d. l. tutor. §. 1. l. in duobus. §. 1. d. t. l. Stichus. §. Naturalis. ff. de solutionib.* Sed hæc tamen sententia ita demum obtinet: si & conditio iurandi delata: & quidem ab adversario, non alio; aut saltem ex conventionem utriusq; partis interposita, & deniq; si iisdem verbis quibus delata est, statim iurando completa sit, neq; casu aliquo postea remissa aut reuocata. Tunc enim statim causa illa siue controversia, de qua iuratum fuit, iureiurando deciditur, & lis finitur: Vnde & iuramentum litis decisorium vulgò nominatur: quasi tunc plena probatio producta, aut transactio facta, aut sententia iudicis sit interposita. *l. 3. in fin. l. 5. §. ultimo ff. de iureiur. §. item si quis postulante. De act. l. 1. & l. si quis iusiurandum. C. de iureiur.* Cæterum huic sententiæ non pauca repugnare animadverto: quorum iam antea facta est mentio: quæ quomodo amolienda sint; ne veritas sententiæ huius evertatur, breviter deinceps videndum. Nam primo loco æquitas ex edicto Prætoris de dolo quòd opponi-

ponitur, ne scilicet quis ex dolo suo releveretur, nedum lucretur aliquid, aut alteri noceat: ut meritò tunc, si quis deferente alio iuraverit, & ex eo absolutus sit, periurio postea probato, adversus eumde dolo agi debeat, sicuti Labeo respondit *in d. l. quod si deferente*: sanè ad hoc ita respondendum arbitror, nullū prorsus hoc casu dolum intervenire, ob quem actio de dolo competat: siquidem voluntate ipsius, aut conventionē Iusiurandum adversario relatum est, ut propterea fraus aliqua, aut iniuria scienti & volenti fieri nullo modo dicatur. Nam & secundum Vlpianum nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt. *l. nemo. ff. de R. I.* Neque ad rem facit, si quis obijciat fortassis, reuocari interdum iusiurandum solere, & succurri decepto à iudice, vel exceptione, vel replicatione data: veluti si à debitore in fraudem creditorum *l. nam postea. §. sed & si quis. & §. si minor. ff. de iureiur.* aut etiam à minore XXV. annis in sui præiudicium sit delatum iusiurandum: sicut & aliàs generalitèr Iure civili in integrum restitutio rectè & petitur & datur in eo negotio, de quo iuratum sit. *l. 5. C. de rescin. vend. can. paruuli. 22. quest. penult. Auth. Sacramenta puberum. C. si adversus venditionem in integrum restitutio postuletur.* Nam hoc ita demum locum habet: si fraus adversarij manifesta appareat in deferendo Iureiurando, & si dolus malus causam dederit contractui. *d. l. nam postea. in princ. & §. si minor. l. 1. §. 3. ff. depositi. l. 1. C. si adversus veuditionem.* cuius cognitio est penes Prætorem, ut & in integrum restitutio, siquidem de dolo constet: ut tunc non videatur consentire is, qui hoc modo decipitur. Quemadmodum & aliàs si quis testamento forsan non apparente, iuret sibi ab hærede aliquid esse legatum: ac deinde prolatis tabulis testamenti periurium eius detegatur: omninò iusiurandum illud retractatur: & legatum ex hac causa præstitum repetitur: ne scilicet cuiquam (ut Imperator ait) ex delicto impium sibi lucrum afferre ex legibus concedatur. *l. ult. C. de iureiur. ut & transactio, vel sententia ex falsis instrumentis, vel testimoniis profecta, ipso jure rescinditur, & ex integro causæ fit cognitio: l. penult. C. de transact. l. 2. & tot. tit. C. si ex falsis instrumentis. l. si maior. De iudic.* quippe quæ non tam litis decidendæ, quàm confirmandi contractus gratia tunc ab adversario interposita fuisse videtur: & ideo cum principalis contractus non subsistit, nec id quod accessorium est consistere potest.

test. l. cum principalis ff. de R. I. Iam verò quod de impunitate per-
iurij opponi, posse videtur, non multum relevat: quoniam ut
maximè delicti huius longe gravissimi certa aut ordinaria coër-
cicio nulla humano jure constituta esse dicatur: multò tamen
gravissima pœna censenda est meritò ultio & vindicta divina:
nimirum æternum exitium: quo nihil atrocius aut acerbius co-
gitari potest: ut paulo post fusius declarabitur. Porrò quod
ex Isidoro affertur, fidem in malis promissis rescindi, & decre-
tum in turpi voto mutari, multoq; magis iniquam sententiam in
manifesto perjurio retractari oportere: propterea quòd impia
sit promissio, quæ scelere adimpleatur: Et quod iuramentum
contra bonos mores non sit obligatorium: Id verò omne non
nisi de nudo pacto, aut simplice iuramento, hoc est, eo quod
non est delatum vel relatum, sive in iudicio, sive extra iudicium,
intelligendum est: ex quo idcirco non tam civilis, quàm natu-
ralis oritur obligatio, l. iuris gentium §. sed nulla ff. de pact. Quan-
quam enim jure naturæ ac gentium æquum est, pacta conventa
vnumquemq; servare: tamen si quid aut temere promissum, aut
inconsultò juratum sit, nemine deferente, quod cum peccato
coniunctum est: minime tunc hoc servari convenit: ne scilicet
iuramentum sit vinculum iniquitatis: & ne scelus scelere ita cu-
muletur. c. inter cetera. 22. quest. 4. c. quod David. 22. quest. 4.
Sic & à Regula excipitur non modò jusiurandum necessarium,
quod non à litigatore, sed iudice defertur in re dubia præser-
tim, aut controversa: verum etiam quodlibet aliud iuramen-
tum, quod ea conditione delatum non est, quàm lex requirit:
ut paulo ante dictum est: ut tunc eiusmodi jusiurandum sine
delatione legitima, siquidem constet de periurio, prorsus retra-
ctetur: ac perinde habeatur, ac si plane non sit interpositum,
Auth. hodie. C. de repud. Auth. nouo iure. C. de pœna iudic. malè iudicantis.
l. 3. ff. de iureiur. Et ratio est in iuramento necessario: quoniam
hoc est probatio privilegiata & singularis; quia jurans sibi ipse
dat testimonium, contra communis iuris Regulam, qua nemo in
propria causa idoneus esse testis dicitur. l. sub specie. C. de re iudi-
cata. l. Imperatores. ff. eodem. Si igitur sententia secundum jusiuran-
dum data sit, poterit denuo ex novis instrumentis agi, & sacra-
menti falsitas ostendi. d. l. admonendi. & ibi Ias. & Roman. l. acti-
one. C. de transact. l. 1. & tot. tit. C. si ex falsis instru. l. admonendi.

Dixi

Dixi de prima quaestionis huius parte, non quantum volui, sed quantum potui & omnino debui, in tam angusti temporis spacio. De altera parte te potius, clarissime Domine Collega, quam me ipsum differentem, audire malo; non ob id solum, quod, secundum Poëtam, Alternis facilis labor, sed quod per se omni in re jucunda magis & accepta varietas atque vicissitudo esse censeatur.

D I X I.

R E S P O N S I O

Ad Quaestionem Secundam

PERIURIUM VTRUM POE-
NA VLLA HUMANA LEGI-
BUS SIT CONSTITUTA, AN VERO AD POE-
nam satis sit ultio divina? recitata à D. IOANNE
KECKIO V. I. D.



Go verò, vir clarissime, Collega amicissime, spontè ac lubens morem tuæ gero voluntati, in munere illo dicendi subeundo: quod & solennitatis huiusce ratio, & Academiae laudabilis consuetudo per se ipsa mihi imponit: idque eò facio libentius, quò certius de favore & benevolentia confessus huius longè splendidissimi atque ornatissimi in me audiendo polliceri mihi posse videor. Qua equidem spe & fiducia fretus, sine ullis ambagibus, ad quaestionis propositæ alterum caput breviter explicandum aggrediar: sitne aliqua poëna ordinaria jure humano constituta ipsius perjuriij: an verò satis poënae esse debeat in crimine illo vindicando ultio & animadversio divina: cum præsertim causa jureiurando decisa (ut modò expositum est) nullo prætextu periurii, retractari soleat: neque rescindi id quod gestum est, propter conventionem eius scilicet, qui jusiurandum spontè ac ultrò detulit, l. 1. C. de iureiur. Quod sanè ut melius definiatur, cuiusmodi delictum sit periurium, primo loco videndū est.

Constat

Constat autem nihil aliud esse periurium, quam iurisiurandi (ut Alex. Imp. loquitur) religionem contemptam. l. 2. C. de reb. cred. & iur. Ac religio quidem ipsa metus est numinis: religio autem iurisiurandi, metus numinis ex iureiurando conceptus: quo cavet iuratus, ne contra iusiurandum faciat. Ea religio tunc contempta censetur, cum is, qui per DEVM iurat, peierat: quo ipso facto manifesta DEO infertur iniuria. Atqui religionis huiusce contemptus ad DEVM solum pertinet: cuius nomen & maiestas eo facto potissimum læditur. Merito igitur eius poena solius Dei permittenda est iudicio, ne scilicet opus sit alia animadversione humana in iudicio divino. Magnum enim est & omnino grave supplicium, eum qui per Deum peierat, Deum habere ultorem; perinde ut is, qui per principem peierat, ultorem habet ipsum principem, cuius maiestatem quadantenus lædit & violat. Quod si homini etiam privato iniuriæ suæ æstimandæ ius conceditur, si qua ei ab altero, vel verbo, vel opere illata sit: ut nimirum iudex causa cognita tanti condemnet reum, quanti iniuriam passus æstimaverit, §. poena. Inst. de iniur. l. Prætor. in fi. l. item apud Labeonem. §. ait Prætor. D. eod. tit. Quanto justius est, æstimationem & arbitrium huiusmodi iniuriæ relinquere ipsi Deo, cui ea facta præcipue censetur: qui solus recte cognoscit & iudicat omnia: non solum in facta inquirendo, sed etiam causas factorum omnium penitus perspiciendo: atque adeo omnes humanorum cordium latebras perscrutando: suo omnino tempore & iudex iustissimus, & ultor vindexque tanti sceleris in se admissi severissimus futurus. Quanquam enim omnium scelerum communis poena esse solet ultio & vindicta divina: ea tamen præcipuo quodam modo sancita esse videtur in ipso periurio: ut soli sit reservanda iudicio divino. Sic enim disertè scribitur in Decalogo: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: quia non impunè relinquet eum Dominus, qui nomen eius vanè usurpaverit. Quò etiam accedit poenæ ipsius & animadversionis divinæ gravitas & magnitudo: quæ est æternum exitium, teste Tullio. Rectè enim Salomon in Proverbijs: Os (inquit) mentiens occidit animam. Et Regius Propheta David in Psalmis: Perdes (ait) omnes eos Domine, qui loquuntur mendacium. Quoniam ergò perjurio
tam a trox

tam atrox & tam gravis pœna statutâ est, ut Deum ipsum habeat ultorem: mirum profectò videri non debet, nullam legibus Romanis aliam pœnam humanam sancitam esse adversus perjuros: neq; corporalem, neque pecuniariam, neque etiam infamiam, uno casu excepto. Qua de re extat elegans rescriptum Imp. Alexandri ad Felicem: Jurisjurandi (inquit) contempta religio satis Deum ultorem habet. Periculum autem corporis vel maiestatis crimen, secundum constituta Divorum parentum meorum, etsi per principis venerationem quodam calore fuerit peieratum, inferri non placet. Quod & Ulpianus alicubi confirmat: post rem judicatam, vel jureiurando decisam, vel confessionem in jure factam nihil amplius quæri solere in iudicio, *l. postrem. 56. De re iudic.* Intelligendum, sive de pœna, si quidem peieratum sit: sive de probatione alia ulteriore: quoniam pro veritate tunc habetur eiusmodi jusiurandum litis decisorium. Quomodo & Imp. Justinianus iniquum esse scribit in iudicio privato quæri de periurio: eo præsertim casu, ubi jureiurando lis finita est. *§. æquè. Inst. de except. l. sed si possessori. De iureiur. l. ult. De in lit. iur.* quasi solius Dei iudicio pœna periurij tunc reservata esse intelligatur. Atque hoc est, quod Tiberius apud Corn. Tac. in Annalibus, Divorum iniurias Dijs curæ esse dixit. Eandemq; ob causam apud Romanos quoq; periurij iudicium, non magistratum civilium, sed Pontificum, id est, eorum qui sacris & religioni præerant, notioni permissum fuisse, auctor est Dionysius Halycarnassæus. At verò (inquiet quispiam fortassis) an non inhumanum fuerit & impium, per leges, quæ perjuriam punire debent, viam impijs hoc modo aperiri periurij? *l. 4. C. de indict. viduit. toll. in fi. l. 3. C. de aleat. Nov. 77. cap. 11.* Nam & L. XII. tabb. apud M. Tullium (lib. 2. de LL.) præter vindictam divinam alias quoque periurij pœnas statui certum est: nimirum dedecus sive infamiam, id est, notam illam, ut opinor, quæ inuritur à Censoribus: quos & ipsos nulla de re quam de jureiurando olim iudicasse diligentius idem affirmat Tullius in Officijs. Sic enim verba legis habent: Periurij pœna divina exitium, humana dedecus esto. Quemadmodum nec desunt exempla pœnæ humanæ adversus periuros passim in

sim in legibus prodita : sicut hoc rescriptum Arcadij & Honorij Imp. manifestò probat : in quo disertè statuitur , eum qui in transigendo iuraverit, se adversus pacta aut transactiones nunquam venturum, siquidem is pejeraverit, non solùm notari infamia, sed & causa cadere, & alio modo puniri debere, *l. si quis maior. C. de transact.* Qua ratione etiam Imp. Zeno illustrium personarum periurijs, qui iudicio sistendi causa repromiserunt, pœnam statuit : ut in civili quidem causa, possessione : in criminali verò, dignitate spoliarentur, *l. quoties. C. de dignit. Lib. XII.* Quid ? quod & ex sententia Septimij Severi & Caracallæ Imp. Ulpianus pœnam statuit periurij corporalem, nimirum fastium castigationem, *l. si duo. §. ult. De iureiur.* Perinde ut & Modest. alibi scribit de periurio, si sua pignora esse quis in instrumento iuravit, crimen stellionatus fieri, & ideò ad tempus exulare, *l. ult. De crim. Stellion.* Quò etiam Pauli locus pertinet, qui de periurio quidem civiliter agi posse negat, ut scilicet causa iureiurando decisa retractetur : posse tamen de eo agi criminaliter, saltem ut periurij crimen vindicetur, disertè affirmat, *l. nam sufficit. D. de dolo.* Enimverò ut paucis ad ea, quæ obijci posse videntur, respondeamus : minimè equidem inficiamur, apud veteres Romanos, non modò iusiurandum inviolatè sanctèq; habitum servatumque fuisse : sed tamen quæ ab his leges de pœna periurij latæ fuerint, nusquam exstare arbitramur, *Gell. lib. 7. cap. 18.* Nam quod ad legem illam xi i. tabb. attinet, relatam à Tullio : minimè ea profectò antiqua, sed ab eo potius conficta censeferi debet. Ac ut maxime antiqua illa lex fuisse dicatur : in ea tamen dedecus, quæ pœna humana periurio statuitur, non eam denotat infamiam, quæ verbis Edicti irrogatur : sed quæ opinione & existimatione hominum : quæq; nascitur ex turpitudine sceleris atque ignominia : quam apud bonos viros suscipit is, qui peierat. Quæ vulgò infamia facti, non iuris appellatur : propterea quòd ex facto ipso ea nascitur : neque ullo iure vel edicto irrogatur. Planè enim infamiam iuris locum non habere adversus periuros, saltem hoc animadvertere licet ex Edicto Prætoris de infamibus in Pand. relato, *l. 1. & tot. tit. De his qui not. infam.* Quod verò de censoria nota ex eodem Tullio

lio adijcitur; sanè hoc ipso quoque satis convincitur, nul-
lam legibus Romanis pœnam periurij fuisse constitutam: si-
quidem constat censores in ea animadvertere solitos fuisse, de
quibus nihil cautum foret legibus civilibus: ut apertè hoc
exempla illa Censoriæ Notæ declarant apud Valerium Ma-
ximum, lib. 2. cap. 4. Porro ad rescripta Imp. allegata quod
attinet: non tam periurij, quàm fidei violatæ & doli mali ad-
missi in his pœna statuitur infamia, d. l. si quis maior. Siquidem
actio de dolo famosa est l. 1. & l. 3. De dolo. l. Lucius. De his qui
not. infam. qua conventus merito postea punitur, perjurio eius
detecto: idque tunc maxime, si in illustri persona crimen hoc
deprehendatur d. l. quoties. ob quod rectè privilegium ob
personæ dignitatem concessum amittitur, & infamia incurri-
tur. Sed nec ad rem pertinet, quod de fustigationis & rele-
gationis pœna ex responsis quibusdam veterum Iureconsul-
torum allegatur: quæ & ipsa non tam periurio, quàm alijs qui-
busdam criminibus publicis lege irrogatur: veluti si cum per-
iurio concurrat stellionatus, d. l. ult. De crim. stellion. aut læsæ ma-
iestatis crimen. d. l. si duo. §. ult. De iureiur. Tunc enim non tam
Dei ipsius, quàm Principis maiestas vindicatur: veluti si per
genium Principis peieratum sit: quo ipso crimen læsæ maiesta-
tis quadantenus committitur, cuius pœna est fustigatio, d. l.
si duo. in fi. Quam tamen & ipsam pœnam ceu privatam vindi-
ctam, spontè in rescripto suo præallegato remittit optimus
Imp. Alexander: si præsertim calore iracundiæ & quasi alienata
mente per furorem, non etiam consulto consilio data opera,
per Principem sit peieratum. Quam legem his verbis recenset
Constant. Harmenop. in Epit. sua: Nemo (inquit) qui per Deum
peieravit, periclitatur: satis quippe Deum habet ultorem iuris-
iurandi per Deum præstiti contempta religio: Quod si quis per
Principis veneratione calore quodam peieravit, veniam is con-
sequitur. Similem quoq; interpretationem Pauli locus postre-
mus recipit, d. l. nam sufficit. Ut & pœna tantùm & vindicta divi-
na intelligi debeat: quatenus scilicet per Deum iuraverit: cum
qua tam interdum concurrere potest humana pœna, id est, ut Ac-
cursius loquitur, afflictio corporalis, quoties nimirum per geniũ

aut venerationem Principis iuraverit. Sic nimirum distinctio illa adhibenda est, utrum adversus Dei ipsius, an verò Principis maiestatem committatur periurium: non quòd levius sit delictum, offendere maiestatem æternam quàm temporalem: quod aliàs multò esse gravius & atrocius affirmat, Imp. Iustinianus, *Auth. Gazaros. C. de heret. & Manich.* sed quod periurio tunc cumuletur crimen eiusmodi, quod per se ipsum pœnam mereatur gravissimam: ac proinde ut Deo injuriæ sibi allatæ per contemptam jurisiurandi religionem: ita Principi suæ quoque injuriæ, ceu læsæ majestatis, per venerationem ipsius contemptâ vindicandæ coercendæq; potestas & ius relinqui meritò debeat. Ex quo Minutius Felix in Octavio longè tutius esse ait, per Iovis, quàm per Principis genium vel salutem peierare. Et Tertullianus in Apologetico: Citius (inquit) per omnes Deos, quàm per unum genium Principis peieratur. Quanquam verò (ut hætenus ostensum est) nullum de periurio ordinarium iudicium, sive civile, sive criminale, lege aliqua vel edicto sit constitutum: placet tamen nobis opinio & sententia eorum, qui scelus hoc periurii gravissimum, extra ordinem rectè puniri posse & omninò debere existimant: pro modo & qualitate ipsius delicti: ne scilicet impunitate tanti sceleris via quodammodo impijs aperiatur periurijs. Magis enim plerumq; terrori esse solet pœna humana, quàm divina: ijs præsertim, qui iudicia hominum verentur duntaxat, neque reformidant adeo iudicium divinum: quo nullum sanè gravius aut terribilius esse potest. Quemadmodum hodie ex novissima Caroli V. Augusti constitutione circa iudiciale iuramentum rectè dispositum est: ut qui sciens fallit, aut dolo malo peierat; siquidem aliquid ex periurio eiuscemodi lucretur, restituto prius lucro, notetur infamia: ac præterea pro recepta passim Germaniæ consuetudine interdum amputatione digitorum aut articulorum, quorum usus ministerio ipse peieravit, iudicis puniatur arbitrio. Poenas enim ob delicta solvi magna suadet ratio: multumq; adeo expedit Reipub. ne crimina maneat impunita. *l. ita vulneratus. §. estimatio.*


Ad L. Aquil. l. locatio. §. quod illicitè. De publican. l. 14. C. de pœn. cum simil.

D I X L

GRATIA-

GRATIARVM ACTIO RECITATA

D. BARTHOLO. REVSNERO
V. I. D.

 ENOCRATEM summum Philosophum ab Apolline quondam mandatum accepisse legimus: ut Gratijs sacrum faceret, si vellet aut in Philosophia proficere, aut vitalem vitam degere: ex eoque tempore neminem prius Academiam ingressum, quam Gratias salutasset. Idem cum omnibus alijs hominibus, tum inprimis pietatis & literarum studiosis dictum puto. Nam & hanc ipsam ob causam veteres Gratiarum templa in medijs urbibus exstruxisse consentaneum est: ut sui quemque officij in gratia referenda admonerent. Maximè verò hoc facere convenit eos, qui jurisprudentiæ disciplinam profitentur: quos Sacerdotes Iustitiæ (cuius magna pars est Gratia) & veræ non simulatæ Philosophiæ professores Vlpianus nominat: ex quo & Sophi, Sapientes scilicet & Prudentes pæssim in Iure nostro appellantur. Quare ut & nos hac in parte officio nostro non desimus: hoc Apollineo præcepto, Xenocrati dato, moniti, quod iubet σπένδειν χάρισιν: nunc quoq; sacrificabimus Gratijs: nec Gratijs solummodò ceu benefactoribus nostris: sed inprimis quoque Gratiarum omnium auctori Deo Opt. Max. qui tot tantisque beneficijs nos hætenus cumulatè affecit, afficit adhuc, & deinceps, ut confidimus, pro inexhausta sua bonitate & clementia benignè affecturus est. Primum igitur tibi Deus Opt. Max. universitatis rerum omnipotens conditor & conservator: unice in essentia, trine in personis, PATER, FILI & SPIRITVS SANCTE: tibi, inquam, gratias agimus, quas mente nostra concipere possumus maximas: quòd nos ab utero matris mirabiliter eductos, ad hunc usque diem salvos & incolumes produxisti: interim verò ad bonarum artium studia adhibitis ita clementer benedixisti: ut hodierna luce fructum his propositum am-

tam amplissimum, bonorum omnium cum ἐπισημοῖς capere licuerit. Tibi nos, benignissime Deus, porro commendamus, teque rogamus: ut sapientissimo tuo ductu consilia & actiones nostras ita dirigas: ut per unumquemque nostrum suo loco tibi grata fiant, & Ecclesiae Reique publicae Christianae salutaria: ut nempe omnia ad augustissimi nominis tui gloriam, & salutem tum publicam tum privatam utiliter cedant. Conserva obsecro hanc Salanam nostram Scholasque alias orthodoxas: in quibus salvificum verbum tuum pure & incorrupte docetur: floret iustitia: vigent leges: excoluntur bonae artes: honesti probantur mores: quaeque sunt, quod esse debent, pietatis ac virtutis φροντιστήρια, & Ecclesiae Reique publicae Christianae seminaria. Proximas gratias agimus Illustrissimis Celsissimisque Principibus ac Dominis: Domino FRIDERICO GVILIELMO Electoratus Saxoniae Administratori & Tutori: Domino item IOHANNI: nec non Domino IOHANNI CASIMIRO & Domino IOHANNI ERNESTO Fratribus germanis & Patruelibus, Saxoniae Ducibus, Landgravijs Thuringiae, Marchionibus Misniae, Dominis nostris Clementissimis: sub quorum plusquam paterna cura & praesidio tutissimo Academia nostra modo se florentissimam intuetur, suamque aliquando tandem ἀκμὴν se consecutam esse gaudet. Singulare quoque Illustrissimorum Principum beneficium agnoscimus merito, & ut decet grata mente praedicamus: quod Panegyricum hanc solennem per Legatum, Virum Amplissimum D. GUNTERVM SCHNEIDVVIVVM cohonestare atque ornare dignati fuerint: quo nomine etiam ipsi Legato amplissimo maximas agimus & habemus gratias. Pares quoque debemus & habemus gratias Magnifico Rectori, Domino SAMVELI FISCHERO SS. Theologiae Doctore, Ecclesiae Antistiti & Academiae Professore dignissimo: Illustrissimis item Generosissimisque Principibus ac Dominis, D. MAGNO & D. GEORGIO fratribus germanis, Ducibus Brunsvicensibus & Lunenburgensibus, Academiae nostrae inclytis luminibus: nec non Illustri & D. Generoso Domino, ALBERTO Comiti è quatuor Imperij Comitibus Schvvarzeburgico, qui solennem hunc actum


actum per Legatum suum splendidissimum, D. NICOLAVM
à ROTLBBEN Eq. nobilem, aulaeque praefectum, honorare
non est dedignatus: praeterea & Filio ipsius Generoso D. CA-
ROLO GVNTHERO, quòd illustri sua praesentia, cum pro se-
ipso, tum etiam Patruo Generoso & Inclyto D. VVILHELMO
Comite Schvartzeburgico Domino nostro benignissimo, hanc
panegyrim ornare atque illustrare voluit. Sed & ingentes ha-
bemus gratias caeteris Illustribus & generosis Academiae no-
strae membris; D. IOACHIMO ANDREAE SCHLI-
CKIO, Comiti in Paussaun & VVeissenkirchen: D. HEN-
RICO RVTHENO, Domino à in Plauen &c. item D. MAXIMI-
LIANO, D. REINPRECHTO, D. GOTEFRIDO, D. GVN-
DACCARO, fratribus & patruelibus POLHAEMI-
IS: D. GEORGIO GVILIELMO ZINZENDOR-
FIO: D. CASPARO à VVINDISCHGRAETZ:
& D. LVDOVICO KOENIGSBERGIO: omnibus Li-
beris Austriae & Styriae Baronibus: quòd inclyta sua praesentia hanc festivitatem celebriorem reddere voluerint. Me-
ritò quoque gratias ingentes habemus amplissimi iuridici
collegij Doctoribus universis & singulis, praceptoribus & ex-
aminatoribus nostris omni observantiae & pietatis cultu ho-
norandis; & praecipue Magnifico viro D. IOANNI STRO-
MERO Iuridicae Facultatis Ordinario & pro tempore De-
cano spectatissimo, qui nos vtriusque Iuris Doctores crean-
di, creatosque renunciandi, Imperatoria qua functus est au-
ctoritate, facultatem benevolè largitus est: perinde ut &
summam grati animi memoriam testamur Magnifico Iuridici
Collegij Seniori, D. NICOLAO REVSNERO IC.
eminentissimo & Illustrissimorum Saxoniae Ducum Confilia-
rio dignissimo; per quem amplissimos istos honores ceu, lau-
datissimum Academiae beneficium, paulò antè adepti sumus:
eumque agonothen & βασιλευτήν nostrum, dum spiritus hos
reget artus, agnoscemus & venerabimur perpetuò. Magnas
quoque gratias agimus Clarissimis Academiae huius professori-
bus: reverendissimis Theologis: prudentissimis Iurisconsultis:
expe-

experientissimis Medicis; solertissimis Philosophis: omnibus
item omnium Facultatum Doctoribus, Licentiatis & Magistris
eruditissimis: ut & Ecclesiæ Ministris ac Pastoribus reverendis:
bonarum denique artium studiosis nobilissimis ornatissimisq;:
quòd partim honorifica sua præsentia, partim diligenti auscul-
tatione honori nostro favere non detrectaverint: iisdemq; de-
bitam observantiam & humanitatem vicissim prolixè offeri-
mus. PERACTIS ita gratijs hætenus ijs, quibus aut Magi-
stratus jure, aut Academicæ communionis ergò persolvendæ
fuerunt: ad vos me nunc converto, Hospites laudatissimi exo-
ptatissimiq;: & inter hos primùm maximas agimus gratias Almæ
Academiæ Lipsiensi, eiusq; Legatis honoratissimis, quorum
præsentia non potest non esse nobis summè honorifica & jucun-
da: Reverendo viro D. ZACHARIAE SCHILTERO SS. Theo-
logiæ Doctori & Professore, & Clariss. consultissimoq; viro D.
IOANNI OETVVINO V. I. Doctori: Nobilissimis deinde
omniq; virtutum splendore ornatissimis viris, D. HENRICO à
GOLTZEN Illustrissimorum Principum Lunæburgensium Præ-
fecto: D. GEORGIO RVDOLPHO à MARSCHALCK Præ-
fecto VVeidensi: D. RVDOLPHO à BVNAVV: D. VITO
THEODORICO ab HOLBACH, D. THEOBALDO à
SCHONFELD & D. NICO LAO MAIO consiliarijs Schvvar-
ceburgicis: Legatis item & Senatoribus Reipub. Halensis, D.
FRIDERICO VDENO & D. HIERONYMO MULBECCIO:
ut & cæteris Reipub. Rudelstadiensis, Blanckenburgensis &
Konigsfeensis legatis ornatissimis: præterea clarissimo consul-
tissimoq; viro D. CHRISTOPHORO FABRO I. V. Doctori:
civibus insuper Lipsensibus & Halensibus reliquis, & in his no-
minatim D. IOHANNI KECKIO Patri, eiusq; consocero D.
PAVLO FRITSCHHANSIO Reipub. Halensis & Lipsiensis Se-
natoribus: his inquam omnibus & singulis gratias & habemus
& agimus, quòd honoris huius nostri renunciationem sua con-
decorare præsentia voluerint. Deniq; viris prudentissimis,
Quæstori, Consulibus, Prætoribus & reliquo ordini Senatorio
Urbico, simulq; cæteris civibus & hospitibus, qui intersunt, pro
more gratias agimus: quòd honoris nostri testes & approba-
tores ad-

cores adesse non gravati sint: iisdemq; universis & singulis, pro
cuiusq; dignitate & statu, nostra officia & studia promptè
& benevolè, ut par est, deferimus atq;
pollicemur.

D I X I.

DECANVS COLLEGI
IVRIDICI IOHANNES STRO-
MERVS V. I. D. ORDINARIVS ET PROFESSOR
in Academia Ienensi.

 *U*nemadmodum in corporibus homi-
num magna sunt dissimilitudines:
quorum alios videmus velocitate ad
cursum, alios viribus ad luctandum
valere: Et quibusdam forma dignitatem, quibus-
dam venustatem inesse: ita in animis eorum exi-
stunt multò etiam maiores varietates: quæ hono-
ris Et virtutis studio rectissimè gubernantur.
Nam cum duo hominum genera sint: eorum qui-
dem alterum est indoctum Et agreste, utilitatem
preferens honestati: alterum verò expolitum, di-
gnitatem omnibus rebus anteponens. Sed hono-
ris quidem studium non nisi in præclara ingenia
cadit: quippe qui veluti premium est ipsius virtu-
tis Ea verò virtus per se quidem omni contentio-
ne ca-

H

ne ca-

ne caret: at gloria magnam saepe emulationem parit: quae eatenus probatur, quatenus non est cum invidia aut malevolentia coniuncta: sed virtute sola nititur, adeoque honorem & gloriam tanquam premium virtutis sperat. Qualis in Themistocle olim fuit gloria emulatio: qui virtutum stimulis agitatus, cum ob id noctes inquietas exigeret: percunctanti cuidam, cur ita noctis tempore in publico versaretur? Quoniam (inquit) trophaea Miltiades omnem mihi soporem excutiunt. Tanti fecerunt etiam summi heroes virtutum & maximarum rerum gestarum ob oculos versantia exempla & honesti nominis gloriam: ut si honores eis pro meriti non exhiberentur, quasi iure suo eos asserere & vindicare viderentur. Quemadmodum Anaxagoras Philosophus ingeniose admonuit Periclem: non levi contumelia affici eos, qui omni vita cum virtute bene laudabiliterque confecta, debitis tandem honoribus & laudibus privarentur atque negligerentur. Neque tamen gloria istiusmodi & honoris praemia ociosis aut indignis deferuntur, verum maximis sudoribus & laboribus par-

bus parta acquiruntur: ut Divi Impp. Anastasius & Iustinianus constitutum reliquerunt. Nam ut de honoribus aliarum disciplinarum nihil hoc loco dicam: certè ab Augusto Cesare non sine gravi consilio constitutum est, ne promiscuè omnes de iure, & aliquando satis vel inconsideratè vel periculosè responderent: sed ij saltem, qui fiduciam studiorum suorum haberent, ad munus hoc & officium, Principis auctoritate accedente, publicè admitterentur. Quemadmodum & Adrianus Imp. hoc beneficium petentibus respondit, non peti sed prestari solere: neq; cuiquam eos honores conferri: nisi prius se idoneum esse demonstraret, & publico optimorum curialium consensu promoveretur. Quo sanè consilio non ita pridem Iuris Candidati tres, bonis moribus & eruditione pares, qui prompta voluntate & modestia sese sua sponte isto ordine locarunt: & in his nominatim SAMVEL MOSBACHIVS Gustensis, inclyti Domini ALBERTI Comitis Schvartzburgensis Cancellarius, nunc verò Illustrissimorum Saxonie Ducum Consiliarius Primarius: JOANNES item KECKIVS Halensis: &

H 2

BAR-

BARTHOLOMÆVS REVSNERVS
Uratlaviensis: suam amplissimo collegio nostro
eximiam doctrinam & iuris scientiam præcla-
ram, aliquot egregijs documentis, non solum in
utroq; examine solenni, sed etiam lectione curso-
ria & disputatione publica, ita prolixè exquisiteq;
comprobarunt: ut digni iudicati fuerint, quibus
insignia Doctoratus in utroq; Iure conferrentur.
Quamobrem rogamus & hortamur omnes
omnium ordinum Academia cives, omnesq; ali-
os, quibus pietatis & literarum studia cura sunt,
ut cras ad horam octavam solenni renunciationi
constitutam, in eade sacra frequentes conveniant:
& solennem hunc actum sua presentia cohone-
stent, eoq; ipso suam erga ordinem nostrum & hos
presertim candidatos benevolentiam, & amorem
erga hæc studia nostra declarent: inprimis verò ut
sua nobiscum vota pro salute Ecclesie & Reipub.
coniungant: & Academia deniq; huius nostræ
dignitatem atq; incolumitatem precibus suis Deo
immortali commendent: cui sit laus, honor &
gloria in omne ævum. P. P. Jenæ XIX. Decembr.
Anno Salvatoris M. D. XCI.

EPIGRAM-

EPGRAMMATA
D. NICOLAI REVSNERII
PROMOTORIS:

I.

AD SAMVELEM MOSBACHIVM V. I. D.

Fortunata dies, niveo signanda lapillo:
O Themidis, SAMVEL, pulcer alumne sacra:
Qua decoro meritâ dudum tua tempora lauro:
Amplificog, novo nomen honore tuum.
Te non ambitio titulos captare superbos
Impulit, aut turpis dira cupido lucri.
Sed commune bonum, cuius tibi maxima cura,
Te iussit partum tam benè ferre decus.
Conspirant virtus in te, doctrinaq, Iuris,
Eloquiq, nitor, consiliq, vigor.
Testis erit Comes ALBERTVS Schwarzburgicus heros:
Testis erit meriti Saxonis aula tui.
Lipsia testis erit, simul hac Academia testis:
Per me quæ titulum dat tibi spontè novum.
Nil equidem titulus tibi, sed tu deniq, confers
Eximium titulo, quem capis, ipse decus.
Sic ergò mea vota tuis coniungo, precorq,
Prosper hic & felix sit tibi semper honos.

II.

AD IOANNEM KECKIVM V. I. D.

Tam benè quod calles anigmata solvere legum,
Civibus & patriæ reddere iura tua:
Per me laureolam pulcri decernit honoris
Conscia doctrina, IANÆ, Salana tua.
Applaudit Themis, & Themidis simul inclyta proles:
Coniungit tecum quæ sua vota lubens.

H 3

Iura:

*Iura docet legesq; fideli mente tueri
EVNOMIE, legum & iuris amica sacra
Iustum cum ratione sequi, rectumq;, bonumq;
Sancta DICE monet, & ius dare cuiq; suum.
IRENE pacem colere & decernere lites,
Ladere nec quenquam vel violare iubet.
Sit felix (clamant) honor iste tibiq; tuisq; :
Ac patria pariter serviat, atq; Deo.*

111.

*AD BARTHOLOMAEVM REVSNERUM
V. I. D. Agnatum.*

Q Vos tibi decernit titulos Academia Iuris,
Me nunc dante capis BARTHOLOMAEAE novos :
Quod Themidis studium multis amplexus es annis :
Iustitia cupidus nunc sacra ferre Dea.
Pulcer honos pulcræ merito solenniter arti
Competit, & cuius maximus usus erit.
En librum cathedrae novus accipe Doctor apertum
Ac clausum : formâ ius & utraq; doce,
Cum libro & absq; libro : mysteria iuris operta
Sint reprobis, eadem rursus aperta probis.
Aurea libertas : sit libertatis hic index
Anulus, & pileus, quem tibi dono, ruber.
Summus honoris apex simul his confertur : & unâ
Iustitia sanctæ pronuba pacta fides.
Iustitiæ defende decus, rectiq;, boniq; :
Consilio patriæ commoda ritè iuva.
Quodq; decet, mecum felix his utere donis :
Cunctis ut prosis, desq; cuiq; suum.
Iustitiæ sic antistes, iurisq; sacerdos
Sanctus eris, homini commodus atq; Deo.

A D

AD MAGNIFICVM NO-
BILEM QVE VIRVM D. NICOLAVM
Reusnerum IC. Illustriss. Sax. Ducum Consilia-
rium &c.

Laureæ Doctoreæ insignia conferentem

D. BARTHOLOMAEO REUSNERO Agnato in
Academia Salana.



ELICEM iactat se gens Romana per orbem
CVRIA cui tribuit nominis ampla decus.

Tres Oratores serie domus una perenni
Quòd dedit eloquio consilioque graves.

Sic domus una Senatores rres protulit olim
Romani FABIOS numina magna soli.

Tres simul & SENECAS Annæâ stirpe creatos;

Præclaros iactat Corduba clara Sophos.

Consultos Iuris tres alma Perugia fratres

Prædicat VBALDOS ceu sine lite suos.

Sed tua non contenta tribus, REUSNERE, recenset

Plures, quos artis nobilitavit honos.

Seu Medicos, Iuris consultos sive requiras:

Patria suppeditat semper utrosque domus.

FRANCISCVS patruus, medicâ tibi clarus in arte,

Magnus erat, sacri lumen honosque chori.

LANGIVS huic, VVIRTHVSQUE GEORGIVS unus & alter,

Pœoniâ felix æmulus arte fuit.

Debita laus eadem patrueli BARTHOLOMAEO;

Cuius nunc Gnato laureaserta paras,

Frater & ELIAS pariterq; HIERONYMVS artis

Cultor Apollineæ clarus uterque manet.

Quattuor una domus medicos materna, recenset

Quattuor & pariter nempe paterna domus.

Debuerat, Patris exemplo, sectarier artem

Sic medicam, patrum nomine dignus herus.

Ille

Ille tamen mavult consultus Iuris haberi,
Scilicet exemplo, magne Patrone, tuo:
CHRISTOPHORI memor & Patruī, PETRI que disertū:
Patria quos LEORIS nunc quoque iactat humus.
Nōrat idem studium tecum, REVSNERE, secutos
CHRISTOPHORVM fratrem, IEREMIAM que tuum:
Cognatum que simul MICHAELVM nomine VVIRTHVM:
Scrinia Saxoniae qui regit ampla Ducum.
Ut fileam reliquos, quorum vel messis in herba est,
Spondet vel fructus proxima quæque dies.
Dii benè fortunent tantæ, precor, omina laudis:
Perpetuent genti nomina tanta tuæ.
Te quoque tot rebus natum REVSNERE iuvandis
Dii faciant Pylios vivere posse dies.
Auspice te pariter Themidis qui ferta capessit,
Sospite te sospes sit maneatque diu.
Semper in antiquam virtutem, animosque viriles
Sanguinis ut multos excitet amplus honos.

Franciscus Burccardus S.



ODA

CL. V.
D. SAMVLI MOSBACHIO
Cancellario Schwartzburgico:

&
D. IOANNI KECKIO
Halensi

Competitoribus suis optatissimis & honorandis.

Sic ergo iuncti cras pariter novis
Insigniemur splendide honoribus:
Quos vestra iam spectata dudum
Promeret ingeniosa virtus.

Virtus in imo serpere nescia,
Gaudet decorum tollere verticem.

Me tale quid non appetentem,
Mens animusq; alio vocabantur

Nuper celebres ire per Ausonas
Erat statutum: iam Venetos sinus

Antenorisq; castra, Roma

Rudera iam meditabar alta:

Jam per vagabar culta Britannis:

Et saepe clades Gallia devovens,

Tuosq; vesanos tumultus,

Pacis amabilis ut salubrem

Gustum precabar perciperes, modo

Mutata mens & consilium: placet

I

Adstare

*Adstare vobis, ac honore,
Quem capitis, parili fruisi.
Sit hæc amoris tessera mutui,
Sit auspiciati lex bona fæderis:
Quisnam, Themis quos unit ipsa,
Dissociet malè feriatus?
Faxit Deus ter maxumus optumus,
Ut cuncta sancti nominis ad sui
Cedant honorem, publicæq;
Sint benè fausta reiç; privæ!
IOVÆ verendo nil sine numine
Procedit aptè: tendit ad exitum,
Hoc sine quidquid inchoatur,
Nec remoram patitur molestam.
MOSBACHE te Schvarzburgica iam vehit,
Expertæ fructum consilij domus
Novem per annos: post eundem
Saxonis experietur aula:
KECKI tuæ nec tu patriæ dæes.
Me preliari non avidum minus,
Quacunq; summus Imperator
In statione volet, locabit.*

BARTHOL. REVSNERVS
pridie solemn̄is actus F.

EX

E X E L I A E R E V S N E R I P R O

lixo carmine gratulatorio ἀπόσπασμα,

SALVETE o Themidis cultores, Iustitiæq;

Sacrati mystæ: redimiti tempora lauro

Quam peperit virtus, labor atq; industria vestra.

Te voco te, SAMVEL decus o MOSBACHE tuorum;

Officium cuius studiumq; in rebus agendis

Solers, clara domus Schwarzburgica sæpè probavit:

Hanc dum consilijs, patria quæ publica poscit

Cura, fideq; iuvas: dum credita scrinia servas,

Scribarumq; operas regis: hinc tua didita fama

Saxonia Ducibus, qui te legere Magistrum

Consiliorum arcanorum sanctiq; senatus.

Te quoque IANE voco: cui mens in corpore fortis,

Mens audax, invicta, malisq; interrita, nomen

Ingenuum finxit; quæ docti pectoris artes,

Copia quæ fandi, sacriq; scientia Iuris,

Lipsia docta simul, simul Hala hoc patria novit.

Nec tu carminibus nostris indictus abibis

BARTHOLOMAEE, fide & patrio mihi sanguine iuncte;

Patria cui virtus & avitæ stirpis honores

In laudes animumq; parant, viresq; ministrant.

Scilicet (enumerem fando ne cuncta) superstes

Vivit adhuc pietas, sancta inculpataq; vita

Et doctrina Patris; qui, ceu Podalirius alter,

Arte probè medica morbos avertere novit:

Gloria vivit adhuc Patruorum magna, sacrati

Imbuti gemino iuris qui fonte fuerunt:

Consilijs patriæ utilibus prodesse parati.

Provocat Agnati te dudum cognita virtus:

Quo duce sacrarum salebrosa per avia legum

*Victor ad Astræa evasisti splendida templa:
Laureolum Iuris quo nunc quoq; dante reportas
Felix, ne desit tanta pars ultima laudi.*

*Scilicet hos vobis solenni voce triumphos,
Decernit Patrum modo quos amplissimus ordo,
Gratulor ex animo, mecum gratantur amici.
Vivite felices, longos & Nestoris annos
Vincite, quæsitis titulis & honore fruentes:
Splendidaq; ut vestras augent hæc nomina laudes:
Et ille ferant eadem patrÿs sic commoda terris.*

F I N I S.







1/c 1882.

8

ULB Halle

3

002 426 757




SR

M.E







B.I.G.

Farbkarte #13

ORATIO
DE IVRISCON-
SULTI CEV VIRI BO-
NI OFFICIO;

Publicè habita
in Panegyri Doctorali:

à
NICOLAUS REVSNERO
RISC, ILLVSTRISS. SAXO-
*nia Ducum Consiliario, & Collegij Iuridici Seniore
ac Professore in Academia Salana;*

Cùm supremi honoris titulus in Iurisprudencia con-
ferretur solenniter

SAMVELI MOSBACHIO,
Cancellario Schvarzeburgico

D. IOANNI KECKIO è Sa-
linis Saxonis

&
D. BARTHOLOMAEO REVSNERO
Vratisl. Silesio.

LENÆ Anno M. D. XCI. XX. Decembr.



LENÆ

Typis Tobia Steinmanni.

